Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
D
18
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
XVII
D
18
NAPOLI
XVII - D - 18
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A

Digitized by Google

XVII.
D
18

Digitized by Google

DE SVPREMA POTESTATE REGIA

Exercitationes habitæ in Academiâ OXONIENSI,

Contra ROB. BELLARMINVM, & FRANCISC. SVAREZ.

Auctore ROB. ABBOT ibidem tunc Pro-*feſſore Regio, nuper* Sarisburienſi Epiſcopo.

Super Imperatorem non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem. *Optat. Mileuit.*



LONDINI,

Ex Officina NORTONIANA.

Apud IOANNEM BILLIVM.

M. DC. XIX.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI *GEORGIO*

Diuinâ prouidentiâ

Archiepiſcopo CANTVARIENSI, totius Angliæ Primati & Metropolitano, *&c.*

MAgnorum argumentorum (*inquit Philo*) magna eſſe conuenit etiam procemia: *cuius verbis ſeriò perpenſis, ingentem quidem timorem, & verecundiam intra me ſentio, & ne præcipitis mei tyrocinij ad inſolitum officium aſpirantis pœnas luam, vehementer formido. Parum enim mihi opportunè cecidit, pariter ac toti Eccleſiæ (Archipræſul Reuerendiſſime) vt à me homine in Theologicis minus exercitato, & vix oratoris ſpeciem, ne vix*

Philo de congreſſ. quærend. erud.

quidem Theologi vmbram attingente, ſeculo tam literis perpolito, tam iudicijs conſummatiſſimo, tanti operis & argumenti publicatio ſuſcipienda ſit. Hoc certè noſtram & onerat modeſtiam, & ad onus iſtud detrectandum virium exiguitatem pene impulerat, niſi plus apud me dignationis veſtræ fiducia quam infirmitatis meæ conſcientia valuiſſet. Præterea tempeſtate hac triſtiſſimâ, & mihi planè luctuosâ tutorem quam lectorem magis noſtra deſiderat orbitas, exigit calamitas; adeoque lachrymas noſtras (ô vnicum doloris noſtri ſolatium) iuſtiùs expectes quam literas, luctum magis quam ſtylum, & flentem oculum potius, quam fluentem calamum, quo liceat magis vulnera propria ex amiſſo patre oſtendere, quam elogia publica ex opuſculo laudato oſtentare. Inſuper cum ſcripſiſſe vellem, totus animus in hac vnâ contemplatione defixus eſt. Parentem cogito, parentem video, *& in opere ipſius relegendo, ſingularum paginarum lineæ, velut defunctorum imagines conſpectæ, non*

materiam

materiam libelli, ſed parentis amiſsi argumentum mihi loquuntur. Accedit lacrymis noſtris præter acerbitatem parentis erepti, *frequens cogitatio* quod aſsidere valetudini, fouere deficientem, ſatiari vultu, complexu non contigit: & mœſtitiam auget, *quod abſens, & impendentis mali neſcius, pariter ægrum, pariter defunctum cognoui. Sed ecce tempori tandem magis, quam luctui cedens imperare dolori, vt ſcriberem, potui, vt vacuo animo, lætoque non potui. At ſcribendum tamen, licet turbato animo, præſertim quum argumenti huius præſtantia cedat in communem Eccleſiæ vtilitatem, in iuſtiſsimam regiminis, & imperij Britannici ſub sereniſsimo noſtro Principe defenſionem, nec ab Authoris defuncti propoſito abhorreat. Non potui itaque ſaluâ pietate pati, vt opus tam eximium, tam his temporibus accommodum, tam iuri gentium, & religioni conſentaneum in tenebris intermortuum iaceret. Verum quis ego imbellis homuncio? Aut qualis mea de viribus proprii*

Tacitus in vita agricolæ.

ſiducia dicam, an arrogantia? qui de Authore, vel de opere tanto, & ingenijs altioribus magis apto iudicium ferre audeam? Equidem ingenuè fateor memet in hac materiâ iudicem fore parum idoneum, & præſentis argumenti prorſus imperitum, cui ſi quid vltra pleniſsimas Authoris lucubrationes adijciendum fore aliquis putaret; quod Alexander olim ætate puerili, quum de Philippi patris illius præclarè geſtis audiuiſſet, ambitioſâ quadam anxietate dixit: illud ego modeſtâ certè excuſatione de hoc argumento dicere poſſum, pater mihi nihil fecit reliquum. *Quòd igitur tenuem præfatiunculam materiæ limatiori præmittere ipſe audeam, argumentum hoc fore cognoſce (Ampliſsime Heros) obſequij potius mei erga te, quam iudicij de præſenti opere, in quo prædicando, quod ego pecco imbecillitate, in eodem certè conficiendo Author viribus impleſſe abundè videtur. Eſt enim materia ſublimis, nec communibus, ſed heroicis ingenijs apta,* De Supremâ, *ſcilicet* Poteſtate Regia: *argumentum*

non

non ſane infimum, ſed planè Regium tanto Profeſſori Regio congruum: qui ſtatim poſtquam Cathedræ Theologicæ à ſereniſſimo Rege noſtro in Oxoniâ præficitur, authoritatis Regiæ priuilegium iuſtamque poteſtatem in eâdem Cathedrâ vindicat. Quid verò aptius? Quid Cathedrâ iſtâ Oxonienſi dignius quam Academię Regium Profeſſorem, *per vniuerſum orbem*, Poteſtatis Regię *agere patronum, & ſceleſtos illos regij ſolij ſuffoſſores Ieſuitas calamo ſubdere, quos Reges ipſi (proh infandum) nequeunt ſceptro ſubiugare?* Deus *in* Scripturis, Omnem animam, Regibus ſubditam *ſanxit (quod in ſequenti opere abunde demonſtratũ eſt) Attamen Alaſtores Ieſuitæ tantum abeſt vt ſubijciant animas Regiæ poteſtati, vt contra totos ſpiritus, & animas in Regiam Poteſtatem impiè exerant atque exacuant. Deus bone? qui mortalium niſi Agentes vicem diaboli ſic improbè agerent in agentes vicem Dei? Hoc (venerande Antiſtes) ſequentis tractati-*

onis ſuit argumentum, vt Authori aptum & congruum ſic temporiiuſtum, & conſentaneum. In hoc pater ille meus (quem viuum colui tam ardenter, quam nunc impatienter requiro) non minimum operæ, & olei collocauit: Hoc opus ipſe denuò recognoſcere & in lucem proferre decreuerat, ſed Deo ſic diſponente è luce prius ipſe commigrauit, & (proh dolendum) immaturâ morte ereptus eſt: Si fas ſit mortem vocare, quâ parentis optimi mortalitas magis finita, quam vita eſt: *de quo non poſſum minus profiteri, quam de ſe profeſſus Aulus Gellius,* Non longiora ſibi dari ſpatia viuendi voluit, quam dum eſſet ad hanc facultatem ſcribendi, commentandique idoneus, *nec longiora conceſſit* Deus, nam ſtylo quam annis viuacior, *non pennam priuſquam vitam depoſuit*: Immò in eodem lectulo & ſpiritus eius, & operũ curſus extinctus eſt: *vt de Terrentio Varrone ſcripſit Valerius Maximus. Verùm ſublato Authore neutiquam aufertur*

Plin. lib. 1. Epiſt. 1.

Aul. Gel. lib. 20. Noct. Attic. cap. vlt.

Valer. Max. lib. octa. tit. 7.

fertur opus. Ecce verò ad Eccleſiæ vtilitatẽ iam in lucem prodeuns, cuius potius imploret patrocinium, quã veſtrum? nẽpe fraternum. Veſtro itaque nomini (Antiſtes Reuerendiſſime) paternas meas lucubrationes conſecratas eſſe cupio (quod vt cupiam, quotidiana tua beneficia animo plane paterno in me collata iubent:) & vt hunc libellum, ſimul & humillimum Nepotem tuum (vtrumq; vnius parentis partum, & ſobolem) amplectaris, & tueare humillime rogo, obſecroque,

Reuerendiſsimæ

veſtræ clementiæ

addictiſſimus nepos

THOMAS ABBOT.

SERIES
ET SVMMA
PRÆLECTIONVM
ſequentium.

Prælectio I. Pag. 1.

I. *Proponitur agendum de ſupremâ poteſtate Regiâ.*
II. *Ieſuitarum technæ deteguntur, quibus nutantem Pontificis Monarchiam ſtatuminare conantur.*
III. *Bellarmini in hac controuerſiâ pertractandâ vecordia, & inſignis impudentia perſtringitur.*
IV. *Oſtenditur Hildebrandum, qui primus poteſtatem Pontifici arrogauit Principes deponendi, ex ſententia Synodi Brixianæ tanquàm læſæ Maieſtatis reum, iuſtè à Pontificatu depoſitum fuiſſe.*
V. *Sententia verborum Apoſtoli Rom.* 13. 1. *ex circumſtantijs contextus, & collatione cum loco Petri parallelo* 1. *Pet.* 2. 13. *elicitur.*
VI. *Supereminentia poteſtatis Regiæ ſupra omnes in ſuo regno diſertis Patrum teſtimonijs confirmatur.*

Prælectio II. Pag. 13.

I. *Modeſta auctoris excuſatio ad beneuolentiam auditorum conciliandam præmittitur.*
II. *Status quæſtionis de ſupremâ Principis poteſtate explicatur.*
III. *Bellarmini in ſupremâ Pontificis poteſtate aſſerendâ inconſtantia, & ridiculæ ſtrophæ, & Mæandri exagitantur.*
IV. *Oſtenditur nomine poteſtatum ſupereminentium apud Paulum, & humanæ ordinationis apud Petrum, politicos principatus, non Eccleſiaſticos deſignari.*
V. *Varia Patrum teſtimonia recitantur, quibus ſupremum faſtigium, & culmen poteſtatis Regibus attribuunt.*

D

Prælectio III. Pag.25.

I. *Ratio redditur, cur interdum caro, interdum anima pro toto homine in ſacris literis vſurpetur.*

II. *Notatur vocabulo animæ Apoſtolum requirere, vt non corporis tantùm obſequium, ſed animæ quoque voluntatem, & affectum principibus deferamus, ne mutila ſit, & ſimulata obedientia, qualis ferè eſt Romanenſium Catacatholicorum.*

III. *Oſtenditur Clericos, vtut Principes multa ijs priuilegia ex ſingulari benignitate indulſerint, iure tamen diuino non eximi à principum ſubiectione.*

IV. *Pontifices Regiæ poteſtati obnoxios fuiſſe, adeoque regnum ſimpliciter præeminere Sacerdotio varijs argumentis, & exemplis ex veteri teſtamento depromptis docetur.*

V. *Bellarmini exceptiones variæ aduerſus prædicta teſtimonia, & exempla pro ſupereminentiâ poteſtatis Regiæ, ventilantur.*

Prælectio IV. Pag.38.

I. *Clericos Principum poteſtati obnoxios eſſe, docetur exemplo Chriſti tributum Cæſari ſoluentis Matt.* 17.

II. *Bellarmini reſponſio ad exemplum Chriſti refellitur.*

III. *Principes in Clericos poteſtatem habere, teſtimonio Chriſti Ioan.* 19. *confirmatur.*

IV. *Prior reſponſio Bellarmini ad prædictum locum (viz.* Chriſtum de facto, non de iure Pilato ſubiectum fuiſſe) *euertitur.*

V. *Poſterior Bellarmini reſponſio,* (ſcil. Chriſtum in Pilato, agnouiſſe non poteſtatem iudiciariam, ſed permiſsionem tantùm) *examinatur.*

Prælectio V. *Pag.*48.

I. Probatur ex Chriſti verbis, Luc. 22. *Apoſtolos & eorum ſucceſſores poteſtatem temporalem, quâ ſecundum hoc ſæculum magni ſint, & pœnis temporalibus cogant illos qui inobſequentes ſunt, vſurpare ſibi vel affectare non debere.*

II. *Proponitur reſponſio Pontificiorum, viz. non hic domina-*

tum

tum & poteſtatem ſecularem, ſed abuſum tantum poteſtatis, faſtumque omnem, & inſolentiam, interdici.

III. *Refellitur prædicta Reſponſio.*

IIII. Puritanis *occurritur, qui ex hoc loco inferre conantur, nefaas eſſe Epiſcopo, vel Clerico, quouiſmodo temporalem aliquam poteſtatem adminiſtrare.*

V. *Probatur* κατακυριεύειν *non ſignificare iniuſtum Dominatum, ſed poteſtatem duntaxat coercendi per vindictam temporalem, & cogendi.*

VI. *Reſpondetur ad duo teſtimonia, quibus Bellarminus expoſitioni ſuæ fidem facere conatur.*

VII. *Rationes Bellarmini ex circumſtantijs contextus petitæ diluuntur.*

Prælectio. VI. Pag. 60.

I. *Ex Pauli appellatione ad Cæſarem euincitur, penes Cæſarem etiam in Apoſtolos ipſos imperium fuiſſe.*

II. *Referuntur variæ, & ſecum pugnantes Bellarmini reſponſiones.*

III. *Refelluntur prædictæ reſponſiones, & fusè probatur Apoſtolum non tantum de facto, ſed & de iure ad Cæſarem appellaſſe.*

IV. *Retorquetur Bellarmini reſponſio in ipſum, & oſtenditur Paulum ex Bellarmini ſententiâ contra ius feciſſe, & poſtulandum eſſe de iniuriâ.*

Prælectio. VII. Pag. 69.

I. *Oſtenditur Pontifices Romanos tribus primis ſeculis humillimum erga Principes obſequium, non verbo tantum, ſed reipſa & facto teſtatos eſſe.*

II. *Proponitur Bellarmini reſponſio ad prædictam inſtantiam viz. Pontifices illorum temporum nihil in Imperatores tentaſſe, quia deerunt illis vires temporales.*

III. *Refellitur hæc Bellarmini reſponſio, & disertis Patrum teſtimonijs docetur non defuiſſe illis vires, ſed voluntatem repugnandi.*

IV. *Nouum Sculkenij ſubterfugium conuellitur.*

V. *Argumentum Bellarmini, quo confirmare conatur primæ-*

uæ Eccleſiæ Chriſtianos ſi vires ijs adfuiſſent, reges deponere potuiſſe, profligatur.

VI. *Aſtruitur poteſtas ſuprema Regia exemplis Pontificum poſterorum ſeculorum.*

VII. *Bellarmini reſponſio ad Gregorium, ex epiſtolis Gregorij refutatur.*

Prælectio VIII. Pag. 84.

I. *Obſequij & officij erga Mauritium humillima Gregorij profeſſio ex epiſtolis ipſius colligitur.*

II. *Quod contra affertur ex priuilegio cuiuſdam Xenodochij, & perquam ſimili, monaſterij S. Medardi, refellitur.*

III. *Pro ſupremâ regum poteſtate Synodi ſextæ Conſtantinopolitanæ.*

IV. *Agathonis.*

V. *Gregorij ſecundi.*

VI. *Synodi Nicænæ ſecundæ, & Adriani Pontificis.*

VII. *Othonis Friſingenſis, nec non Ambroſij teſtimonia producuntur.*

VIII. *Sculkenij effugium, viz.* Reges nullis legibus politicis ſubijci, obnoxios tamen eſſe legibus Eccleſiaſticis, *conuellitur.*

Prælectio IX. Pag. 97.

I. *Primum aduerſariorum argumentum ex verbis Chriſti Matth. 16. depromptum proponitur excutiendum.*

II. *Aduerſus prædictam rationem excipitur verba Chriſti non in præſenti dici, ſed in futuro, uſq; adpromitti Petro grandia, ſed nondum illum in poſſeſſionem immitti.*

III. *Oſtenditur vbi in effectum datur iſta promiſſio non ſolum Petrum, ſed reliquos quoq; Apoſtolos in eiuſdem prærogatiuæ ſocietatem cooptatos.*

IV. *Docetur vtut ad Petrum omnia ſingulariter ſpectare concedantur, non tamen hinc Monarchiam papalem ſtabiliri.*

V. *Secundum aduerſariorum argumentum ex verbis Chriſti Iohan. 21. petitum examinatur.*

VI. *Oſtenditur verbo* [illegible] *paſtoris officium, non monarchæ dominatum deſignari.*

Prælectio

Prælectio X. Pag. 108.

I. *Multum à Patribus Petro attribui conceditur, nec ſine cauſâ, nequaquam tamen in reliquos Apoſtolos dominatum.*

II. *Oſtenditur ex patribus ideò Chriſtum Petro nominatim, & ſingulariter, idque ter oues commendaſſe, vt Apoſtolatus dignitatem, quâ trinâ negatione videbatur excidiſſe, reſarciret; eumq; ex conſcientiâ lapſus ad maiorem ſollicitudinem extimularet.*

III. *Docetur verbis illis,* Paſce oues, *commune omnium Eccleſiæ doctorum, & paſtorum officium deſignari.*

IV. *Varia Pontificiorum ſuffugia, & commenta, quibus argumentum prædictum ex his Chriſti verbis petitum, ſuffulcire conantur, euertuntur.*

Prælectio XI. Pag. 120.

I. *Priuilegiorum diſtinctio præmittitur.*

II. *Petri priuilegium ex cauſâ profectum eſſe, non ex perſonâ declaratur.*

III. *Ianſenij exceptio tollitur.*

IV. *Docetur ex Patribus fidei nomine claues Petro promiſſas, Petrumque non ſuam, ſed Eccleſiæ perſonam geſtaſſe.*

V. *Reſponſio Suarij ad patrum teſtimonia, Viz. Petrum ab ijs dici repræſentaſſe Eccleſiam, non quaſi Vices eius gerentem, ſed ratione ſui primatus in Eccleſiâ, accuratè refellitur.*

Prælectio XII. Pag. 129.

I. *Capita ſequentis diſputationis breuiter attinguntur.*

II. *Aſſeritur nullum in S. S. veſtigium extare alicuius priuilegij, quod à Petro ad Romanum Pontificem perpetuâ temporum ſucceſſione decurrat.*

III. *Nomen ipſum Petri (quod Chriſtus Simoni Bar-Iona impoſuit) ad Pontifices accommodari non poſſe, in quorum* [illegible] *talogo nemo Petrus occurrit.*

IV. *Verba illa,* Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam, *Pontifici nullo modo conuenire.*

V. *Verba illa,* Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, *ad ſeriem Pontificum aptari non poſſe.*

VI. *Portas inferorum, id eſt, vt nonnulli interpretantur, peccata morum, & ſpurciſſima flagitia aduerſus Pontifices præualuiſſe.*

VII. *Portas inferorum, id eſt, vt alij interpretantur, hæreſes aduerſus eoſdem præualuiſſe, demonſtratur.*

Prælectio XIII. Pag. 139.

I. *Argumentum primum Suarij, quo contendit Petri primatum in Eccleſiâ Romanâ perpetuum eſſe debere, diluitur.*

II. *Reſpondetur ad teſtimonia Auguſtini, & Ambroſij, quæ in ſubſidium ſupradicti argumenti afferuntur.*

III. *Secundum Suarij argumentum pro perpetuâ ſedis Romanæ prærogatiuâ profligatur.*

IV. *Docetur curam omnium Chriſti ouium non minus reliquis Apoſtolis quam Petro fuiſſe commendatam.*

V. *Oſtenditur falſum eſſe quod ponit Suarius, Petrum prouidiſſe modum quo ſibi ſuccederetur.*

VI. *De ſucceſſione Petri, & Cathedrâ eius Romæ figendâ dubiæ, & perplexæ Pontificiorum ſententiæ referuntur, & exagitantur.*

Prælectio XIV. Pag. 184.

I. *Tertium Suarij argumentum ex illis Chriſti verbis* (Et erit vnum ouile, & vnus paſtor) *petitum, proponitur diſcutiendum.*

II. *Demonſtratur illum* Vnum Paſtorem, *non niſi Chriſtum eſſe.*

III. *Prima Suarij exceptio aduerſus prædictam concluſionem, quâ contendit* neceſſarium eſſe vnum viſibilem paſtorem qui locum abſentis Chriſti teneat, *euertitur.*

IV. *Altera Suarij exceptio, viz.* Chriſtum, licet ſit vnus ſupremus Pontifex, non tamen ſolum vbique, & immediatè gubernare, & proinde ei Vicarium Generalem [Pon]tificem Romanum ſurrogandum, *tollitur.*

Prælectio

Prælectio XV. Pag. 155.

I. *Teſtimonium Auguſtini à Suario productum, pro primatu Pontificis expenditur.*

II. *E Cypriano locus primus, de vnit. Eccleſ. à Suario citatus, examinatur.*

III. *Alius Cypriani locus ex epiſt. ad Corn. explicatur.*

IV. *Alter Cypriani locus ex epiſt. ad Iubaianum vindicatur.*

V. *Argumentum Suarij morale profligatur.*

VI. *Ad teſtimonium Leonis,*

VII. *Ad teſtimonium Chryſoſtomi,*

VIII. *Ad teſtimonia quædam Auguſtini reſpondetur.*

Prælectio XVI. Pag. 175.

I. *Proponitur agendum de ſignificatione, & extenſione poteſtatis clauium.*

II. *Primum Suarij argumentum ex verbis Eſai deductum excutitur.*

III. *Oſtenditur Eliachimum Ezekiæ ſeruum fuiſſe, in Sobnæ locum ſuffectum.*

IV. *Probatur eundem præpoſitum fuiſſe domus Regiæ non templi.*

V. *Coniecturæ de tunicâ, & pallio, ex quibus infert Suarius officium eius ſacrum fuiſſe, non ciuile, ventilantur.*

VI. *Alius locus pro ſignificatione clauium, ex Apoc. 3. Examinatur.*

VII. *Docetur Chriſtum Petro dediſſe claues regni cœlorum, non terrarum.*

Prælectio XVII. Pag. 188.

I. *Sententia Pontificiorum de poteſtate ligandi, & ſoluendi impia, & blaſphema proponitur.*

II. *Prædicta ſententia ex Concilijs & patribus impugnatur.*

III. *Eadem varijs argumentis à ratione ductis confoditur.*

IV. *Docetur poteſtatem ligandi, & ſoluendi omnibus Apoſtolis fuiſſe communem.*

V. *Proprium obiectum poteſtatis ligandi & ſoluendi, eſſe peccata ex vnanimi conſenſu omnium temporum, luculen demonſtratur.*

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SVPREMA POTESTATE REGIA,

In verba Apoſtoli ROM. 13.1.

Omnis anima poteſtatibus Superemi-nentibus ſubiecta eſto.

PRÆLECTIO PRIMA.

I. *Proponitur agendum de ſuprema poteſtate Regia.* *Paragraphi*
II. *Ieſuitarum techna deteguntur quibus nutantem Pontificis Monarchiam ſtatuminare conantur.*
III. *Bellarmini in hâc controuerſiâ per tractandâ, vecordia, & inſignis impudentia perſtringitur.*
IV. *Oſtenditur Hildebrandum, qui primus poteſtatem Pontifici arrogauit Principes deponendi, ex ſententia Synodi Brixianæ tanquàm laſæ Maieſtatis reum, iuſte à Pontificatu depoſitum fuiſſe.*
V. *Sententia verborum Apoſtoli* Rom. 13. 1. *ex circumſtantijs contextus, & collatione cum loco Petri parallelo* 1. Pet. 2. 13. *elicitur.*
VI. *Supereminentia poteſtatis Regiæ ſupra omnes in ſuo regno diſertis Patrum teſtimonijs confirmatur.*

QVam parum opportunè ceciderit mihi pariter, ac vobis (ornatiſsimi Academici) vt mihi comitiorum noſtrorum locus iſte, homini ad ſcholas per tam multos annos minus exercitato, ſuperiorum voluntate delatus ſit; quia per diſputandi occaſionem dictum iampridem eſt, ſuperſedendum nunc arbitratus ſum, ne lædere magis patientiam veſtram, quam mihi defenſionem, & ſuſcepti tam infirmis lacertis tanti oneris excuſationem parare videar. Ve- I.

rum tamen poſtquam eò res (Deo ita diſponente) deducta eſt, vt, quantumuis mihi apud vos exiſtimatione periclitandum ſentirem, expediendi tamen huius periculi honeſta ratio niſi periclitando non eſſet, cepi cura omni, & cogitatione in hoc incumbere, vt pro ea, qua ſum minutula facultate, ſupplere poſsim diligentia, & fide, quod alioqui deeſſe mihi multis modis profiteri palam, & apertè non pudet. Interim vero verſanti mecum animo, quo argumenti genere tractando vobis opera mea maximè probata ſit; commodè, & quidem ſponte occurrit magna illa controuerſia, quæ hodiè orbem ferè totum Chriſtianum exercet, cuius auſpicia huius diei ſolennitati ſacra eſſe volui, de ſupremâ poteſtate regia, qua nihil acrius à Ieſuitis impugnatur, quæque præſidijs ſuis, & veritate ſuffulta, finem regno Antichriſti, Principibus iura ſua ſibi ſumentibus, breui, quod quidem ſpero, datura eſt.

II. Ac Ieſuitæ quidem conſcij ſibi quam peſsimè de Regibus, rebuſque publicis mereantur, quantâ vbique ſcelerum ſuorum eâque iuſtiſsimâ infamiâ laborent, quam ſua cum lapſu regni Pontificij certiſsima pernities, & ruina coniuncta ſit, agunt quibus poſſunt modis omnibus, vt nutantem illam monarchiam furcis ſuis, & palis ſtramine ſcilicet, & arundine ſtatuminent, eò que chartulis ſuis, & libellulis, & deſpectiſsimis ſcriptiunculis opplent omnia, & orbem fatigant, tanquam extorquere volentes importunitate, quod æquitate conſequi ſe poſſe diffidunt: nempe quia ſe vident conſertâ manu, & iuſto prælio contendere non poſſe, per cuniculos, & inſidias moliuntur, & in reſpondendo Leopardorum ſaltus imitati, vellicant hic illic, & rodunt aliquid fœdiſsimi canes, & tanquam ad Nilum lambitant, arripiuntque paſsim quod cauillationi per fas nefaſque quoquo modo ſubijciant, magna interim illa, quibus cauſæ momentum agitur, inuiſiſsimâ fraude prætereunt.

III. Atque in hac ſcena partes ſuas habet imprimis Exieſuita Bellarminus, qui longo vſu falſarius, & impoſtor malam in hoc negotio conſcientiam ita prodit, vt iure

nobis,

nobis, quin & ſuis quoque in totâ fidei controuerſiâ ſuſpectus eſſe mereatur, cuius ego librum aduerſus Barclaium cum primum in manus acceperam, dum præfationem pro more meo lego, percelluit fere animum meum, quod tam confidenter denuntiantem animaduerti, *allaturum ſe in medium ſententias clariſſimorum Scriptorum ex omni natione orbis Chriſtiani*, &, *vt de ſententia Catholicæ inquit Eccleſiæ, nemo dubitare poſſit, plurium conciliorum patres in vnum quaſi maximum concilium cogam, qui vnum Barclaium in medium vocatum ſententijs ſuis obruant: in quorum theatrum introductus mirum eſſet, ſi tot aduerſa lumina intueri, vel os aperire, aut omnino mutire auderet.* Miratus ſum initio *quid ferat hic tanto dignum promiſſor hiatu*, quos ille ſcriptores, quos patres, quæ concilia diſtentis buccis, & tanto flatu crepitaret; de quibus ſiue legendo, ſiue audiendo, dum in veteres illos animus intentus eſt, nihil mihi vnquam in notitiam peruenisſet. Vbi verto paginam auidiùs, offendo in ipſâ primâ acie Gregorium ſeptimum Hildebrandum, hominem ſceleratiſsimum, & temporis ſui prodigium, parentem ipſum rebellionis, & perfidiæ in Reges, & deinde ſequentem illum à tergo Scriptorum è ſeculis poſterioribus promiſcuam turbam. Subriſi ſtultitiam hominis, & vecordiam, ô te, inquam, delirum Cardinalem, qui pro Tertullianis, Cyprianis, Chryſoſtomis, Ambroſijs, Hieronymis, Auguſtinis, & reliquis illis heroicorum temporum Claſsicis authoribus, diuos iſtos minorum gentium, & atratos ex culinâ Pontificis ſatellites profers. Itanè, vt te orbi Chriſtiano nouum dogma tanto ſupercilio venditare non pudeat, cuius ante natum Hildebrandum, & ad Pontificatum impijs artibus, & dæmonis ope nimium ſibi familiaris proiectum, nulli vſquam authores auditi ſunt?

Bellar. præfat. lib. aduerſ. Barc.

In conuentu quodam Reginoburgenſi in Germaniâ qui fuit anno 1241. de hoc Hildebrando dictum teſtatur Auentinus: *Hildebrandus ante annos centum & ſeptuaginta primus ſpecie religionis Antichriſti regni fundamenta iecit. Hoc bellum nefandum primus auſpicatus eſt*, ſcilicet, in Imperatores *quod per ſucceſſores hucuſque continuatur*. Et fuit IV.

Auentini Annal. lib. 7.

ille

ille quidem primus qui poteſtatem ſibi ſumpſit deponendi Principes, & ſubditos eorum à iuramento fidelitatis, abſoluendi. Itaque doctrinam illam Sigebertus ſub id tempus *nouitatem & hæreſin* appellat. Et Leodienſis Eccleſia *nouellam traditionem*, & porro, *Hildebrandus* (inquit) *primus ſe, & exemplo ſuo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli, primus leuauit lanceam Sacerdotalem aduerſus diadema regni.* Quæ cauſa fuit cur illo tempore Metenſis Epiſcopus propenſus in Hildebrandum & tamen dubius in re nouâ quo argumento Pontificiam illam vſurpationem tanquam ex iure profectam tueri poſſet, *poſtularet ab illo ſcriptis iuuari & præmuniri contra illorum* (vt loquitur) *inſaniam, qui garriunt authoritatem ſanctæ, & Apoſtolicæ ſedis non potuiſſe Regem Henricum excommunicare, nec quenquam à Sacramento fidelitatis eius abſoluere.* Ex quo intelligitur, tum nihil Epiſcopum de hac papali ſublimitate ex anteriori Eccleſiæ traditione perceptum habuiſſe, tum multos fuiſſe qui ſcelerati hominis intolerabili ſuperbiæ, qua ſe in Imperatorem inſolentiſſimè geſſit, repugnandum ſibi cenſuerunt. Certè cum Henricus Imperator indigniſsimè ab illo habitus, recollectis poſtea viribus Pontificatu illum, conſentientibus Romanis, & porrò ſuffragantibus in Brixiana Synodo è Gallia, & Germania quadraginta nouem Epiſcopis, abdicaſſet, *Omnes* (vt habet Matthæus Pariſ.) *iuſtè illum depoſitum fuiſſe conclamant, tanquam læſæ Maieſtatis reum, qui contra Imperatorem, alterum ordinauerat.* Et ipſe quidem haud multo poſt, cum ſe moriturum perſentiret *Cardinalibus aduocatis confeſſus eſt, ſe valde peccaſſe in curâ paſtorali; & ſuadente Diabolo contra humanum genus iram Dei, & odium concitaſſe.* Hic ille eſt Bellarmini primarius teſtis, dignum tali patellâ operculum, ex quo æſtimandum relinquitur quam hic fidem cæteri mereantur, quibus propudium hoc humani generis, homo flagitijs omnibus, & turpitudine coopertus, anteſignanus in cauſa eſt. Enimuero poſtquam Pontifex fractis primum ab illo repagulis aper ſylueſtris in Eccleſiam irruperat, & importuna tyrannide ſedem ſuam in illum ſuper omnia principatum

Abb. vſperg. chron anno 1080.
Ma. Paris in Guil. Conq. 1084.
Anno. 1086.

erexerat totiuſque mundi vnum ſe Monarcham conſtituerat, non defuit illi mox Sacerdotum, & poſtea quoque ſcholaſticorum exercitus, qui ſacro Antichriſti bello ſe darent qui excogitatis argumentis, ratione factum perſuaderent, quod improba dominandi libido tentauerat. Non defuerunt qui ſplendore illo beſtiæ commoti admirarentur illam, & adorarent, alioſque in eiuſdem perfidiæ ſocietatem aſciſcendos curarent. Ex hoc grege Bellarminus aduocatos ſibi conducit, & Pontificiæ Monarchiæ propugnacula mutuatur, non habens è veteribus vnum, ne vnum quidem, qui paraſitiſmis ſuis, & Sycophantiis Antichriſtianæ huic inſolentiæ viam muniat. Cæterum quos hic porrò fumos Papo-Atlantes iſti ſuſcitent, quæ atramenta ſua ſepiarum more profundant, vt retia noſtra, quæ perrumpere non poſſunt, aſtu declinent; quantâ calumniandi libidine, atq; impudentiâ in hac controuerſiâ verſentur, quàm vetera ſimul omnia, & noua peruertant, fiet, ſpero, in diſputationis noſtræ progreſſu manifeſtum, defæcatis ad liquidum vndis, quas piſcatores iſti quæſtui ſuo non niſi perturbatas habere conantur.

Eo fine ſententiam hanc Apoſtolicam pertractandam aggredior, quâ tria continentur, quibus huius ferè totius negotij cardo vertitur. Dicendum eſt enim *De poteſtatibus ſupereminentibus*, quibus ſubiectio præſtanda eſt, de *animabus*, à quibus ſubiectio iſta poteſtatibus debetur, & de ipſa denique *ſubiectione*, quænam illa & quatenùs præſtanda ſit. Atque hic mòx mihi cum Bellarmino manus conſerenda eſt, qui, quòd optimè videat, ſi regalis tantum poteſtas hic intelligatur, cui *omnis anima* ſubdita eſſe teneatur, cogi in ordinem Pontificem quoque Romanũ, vt Principibus obtemperare neceſſe habeat, confictâ expoſitione mentem Apoſtoli prætertit, *Poteſtates ſupereminentes* Principes intelligi volens, *non ſolum ſeculares, ſed etiam eccleſiaſticos*; & Apoſtolum aſſerens, *hortari omnes, vt ſuperioribus pareant tàm ſpiritualibus quàm temporalibus*. Nempè vt eò Pontifici ſubterfugium relinquat, quò & detrectare ſubiectionem, & ſupereminentiam ſibi V.

Contra hanc expoſitionem vide Auguſt. contr. epiſt. Parmen. l. 1. c. 7.

De Rom. Pont. l. 4. cap. 16. & l. 2. cap. 1?

in omnem animam vendicare poſſe iudicetur. Quam expoſitionem nec Anglo-Rhemenſes quidem noſtri audaciſsimi commentatores vſurpare auſi ſunt,immo certiſsimo argumento, prout mox videbimus, reijciunt illam, vt meritò nobis hic Bellarminianæ perfidiæ teſtes aduocandi ſint. Atque vt ordine agamus ideò ἐξουσιῶν ſiue *poteſtatũ* appellatio Regibus, & Monarchis per metonymiam attributa eſt quòd *poteſtatem* habeant, non quamlibet, ſed quâ cogunt homines ſibi vt obſequentes ſint, vel omnino ne ſint. Inde Chriſtus *Reges gentium dominantur eis* καὶ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, & *poteſtatem in eos exercentes benefici vocantur* : vbi Reges circumſcriptione quadam ἐξουσιάζοντες definiuntur quaſi quibus ſolis propriè competit, vt poteſtate imperij eminentes, & ad eam deſignandam magnificis elogiorum titulis ſiue ex optimatũ conſenſu ſiue ex vulgi obſequio, ſiue ex blanditijs paraſitorum, & aſſentatorum exornati ſint. Atqui huius poteſtatis inſignia Regibus ipſis ad maieſtatem demonſtrandam conſueta ſunt, ſatellitio ſtipari, præire lictores, enſiferos, virgatores, præferri faſces, & ſecures & gladios, tributa & vectigalium deſcriptiones imperare ; quæ quia Paulus hic *poteſtatibus* à ſe commemoratis attribuit, *gladium, terrorem, vindictam, tributa, vectigalia,* ideo Rhemenſes noſtri & quidem certiſsimà, vt diximus, ratione *temporales* hic *poteſtates* intelligendas eſſe ſponte concedunt. Haud aliter quàm Origenes, qui *ſeculi poteſtates, & mundi iudices :* quàm Ambroſius, qui *Reges, & ſeculi rectores* ; quàm Aquinas, qui *poteſtates terrenas, & carnales dominos interpretati ſunt.* Atqui non ſolum *poteſtates* dicuntur Reges, ſed etiam ὑπερέχουσαι, poteſtates ſupereminentes, quòd in regnis ſuis ſupra omnes ſe habeant, quòd ſupremo loco, & ſupra omnes conſtituti, in omnes poteſtatem ſuam exercere datum habeánt. Vbi nobis Petrus occurrit interpres Pauli diſertiſsimus, & certiſsimus, qui quòd hic Paulus ait πᾶσα ψυχὴ &c. Omnis anima, &c. reddit alijs

1.Pet.2.13. verbis ; ὑποτάγητε πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, *ſubiecti eſtote cuiuis humanæ ordinationi* : hoc eſt omnibus, ſecundum quod inter homines agimus in publico regimine Conſtitutis : ἀνθρωπίνη enim

Luc.22. (margin note beside "vel omnino ne ſint. Inde Chriſtus")

nim dicitur quod conuenit hominibus,nempè ſecundum quod homines ſunt, vt hic purus putus Magiſtratus, abſque quo humanum genus,hominum ſcilicet inter ſe conuerſatio, & ſocietas conſiſtere non poteſt, neceſſariò intelligendus ſit. Quod tamen, quia dictum eſt ab illo aliquantulum obſcuriùs,luculentèr mox per diſtributionem explicat; εἴτε βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι : *ſiue Regi tanquam ſupereminenti*; εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις ſiue *Ducibus ab illo miſſis*: vbi diligenter animaduertendum eſt, Regibus, & ijs qui à Regibus miſſi ſunt definiri à Petro, quas Paulus appellat ἐξουσίας ὑπερεχούσας ſupereminentes poteſtates, vt præter duas ipſas nulla hic nobis alia κτίσις ἀνθρωπίνη recognoſcenda ſit: Regem verò κατ' ἐξοχὴν & ſingulari quadam ratione τὸν ὑπερέχοντα: *ſupereminentem nuncupari*, vt quantumuis reliqui quoque Magiſtratus dicantur à Paulo ἐν ὑπεροχῇ ὄντες, in *ſupereminentia conſtituti*, illorum tamen *ſupereminentia* circumſcriptâ Regiâ miſsione, cuius tantum nomine, & authoritate deſignant, & exequuntur omnia, non niſi reſpectiuè modo quodam, & per ſubordinationem intelligatur, Regia vero ſublimitas abſolutè ſupereminens & ſupra omnes, ſupremo quodam iure conſtituta ſit, *habens imaginem Dei*, ait Ambroſius, *Vt ſub vno ſint cæteri, cui, quia vicem Dei agit*, inquit, *ſubÿciatur omnis anima, ſicut Deo.* 1.Tim.2.2. Ambroſ. in Rom. 13.

VI. Quæ Ambroſij ſententia plurimùm obſeruanda eſt, quaſi quæ ad cauſam maximi momenti ſit, quia certiſsimum Regiæ ſupra omnes ſupereminentiæ fundamentum ponit. Significat enim in Regio principatu diuinæ Maieſtatis imaginem extare; Regem apud homines vicariam Dei loco poteſtatem exercere. Iam eo nomine, ſupremo omnium apud homines loco cenſendus eſt, quia ſuperius Deo, cuius vicem agit, nihil omninò dici poteſt. Ex hoc fundamento ſurgit contra Bellarminum ædificatio Regij primatus, & falſum eſſe conuincitur,quod ille tam improbâ fronte dicere non veretur, *Temporalem principum poteſtatem ſpirituali poteſtati pontificis ſubiectam, & ſubordinatam eſſe; Regem Chriſto, & Pontifici; Pontificem ſoli Chriſto ſubiectum eſſe debere.* Sumamus enim quod habet Auguſtinus, *Dei imaginem habet Rex, ſicut & Epiſ-* Adu. Barclai. cap. 3. Cap. 17. Aug. quæſt. ex vet. Teſt. 35.

copus

Digitized by Google

copus Chriſti, Apoſtolorum quippe, & Epiſcoporum vox illa eſt; ὑπὲρ χριστοῦ, *Pro Chriſto legatione fungimur*; *pro Chriſto*, hoc eſt Chriſti loco, & vice, *Obſecramus*. Quare datum
Amb. in 2. Cor. 5 & 2. Tim. c. 1. Euſeb. Rom. ep. 3 Apoſtolis, datum Epiſcopis omnibus, *vt Chriſti vicarij* eſſe dicantur. Eſto verò vt Epiſcopus Romanus ſpeciali quodam iure *Chriſti vicarius* dicatur (neque enim hic de illa re contendendi locus eſt) certè tamen non niſi *Chriſti*
Bel. de Rom. Pont. lib. 5. c. 4. *vicarius* dicetur, *Summus Pontifex*, inquit Bellarminus, *Chriſti vicarius eſt, & Chriſtum nobis repræſentat, qualis erat dum hic inter homines viueret*, *Papa* inquit, *habet illud officiũ quod habuit Chriſtus, cum in terris inter homines humano more viueret*. Optimè verò, Bellarmine, ſint vera iſta quæ dicis; Pontifex in Chriſti locum inductus ſit; Chriſti humano more viuentis vicarius eſto; at Rex loco Dei eſſe
1. Chron. 29. 23 perhibetur, & *ſuper ſolium Dei ſedere* dicitur. Quare Eleutherius Epiſcopus olim Romanus Lucio Regi noſtro, *Vicarius Dei*, inquit, *eſtis in Regno illo*: Et Anaſtaſius ſe-
De priſc. Angl. leg. inter leg. Edwardi. c. 17. Anaſtaſ. epiſt. 1. cundus, Anaſtaſio Imperatori, *Præſtantiam veſtram velut vicarium Deus præſidere iuſſit in terris*. Et *victor noſter Gulielmus Rex ſummi Regis vicarius eſt*. Quodſi Rex vicarius Dei ſit, Pontifex autem vicarius Chriſti, certe quomodò ſe habet Deus ad Chriſtũ, eodem modo habebit ſe vicarius Dei ad vicarium Chriſti; Eſt autem Deus *Caput Chri-*
1. Cor. 11. 3. Ioan. 14. 28. *ſti*, vicarius ergo Dei caput erit vicarij Chriſti. Chriſtus humano more viuens, *Pater*, inquit, *maior me eſt*. Vicarius ergo Dei, maior erit vicario Chriſti. Rex ergo caput Pontificis, & hic nonniſi perduellis & proditor qui Imperatorię poteſtatis, & debitæ illi ſeruitutis iugũ excuſſit.

Porrò vberior huius argumenti confirmatio inde petitur, quòd in Chriſto, cùm in terris inter homines humano more viueret, non fuit ſecundum homines *ſupereminens illa poteſtas*, illa ἐξουσία ὑπερέχουσα, cui omnis anima iure, ac lege politicâ ſubijceretur, nam in quem altera poteſtas ſecundum homines diuinitus conſtituta eſt, ille ſecundum homines ſupremam poteſtatem habere non po-
Ioan. 19. 10. tuit, Pilatus verò Chriſto; *Neſcis*, inquit, *poteſtatem me habere crucifigendi te, & poteſtatem habere abſoluendi te*. Et confirmat ſententiam Chriſtus; *non haberes in me poteſtatem*

ſtatem, ἐξουσίαν, *niſi tibi datum eſſet deſuper.* Deſuper ergo datum Pilato, vt Cæſaris iure, ac nomine poteſtatem haberet ſupereminentem, quâ Chriſtum ſibi obnoxium tenebat. Quodſi per Chriſtum non, ſtetit quin ſupereminentia poteſtatis penes Cæſarem eſſet, certè quia vicarius Domino ſuo maior eſſe non debet, ſtare non debet per vicarium Chriſti, quominus Cæſari, quominus Regi ſuprema omnium poteſtas attribuenda ſit. Cæſarem ergo ſpectat, non Pontificem hortatio iſta Apoſtolica, quâ omnis anima ſupereminentiam poteſtatis, agnoſcere eiq; ſe ſubditam dare docetur. Ac nobiſcum concurrit hîc vniuerſus antiquorum patrum chorus, quorum nemo vnquam ſomniauit Pontificem Romanum eſſe *ſupremum* in terris *numen*, quomodo illum Stapletonus indigitat; omnes Cæſarem in oculis ferebant, Cæſarem ſuſpiciebant, in illo ſolo diuinæ Maieſtatis vmbram illam, & imaginem venerati ſunt. Itaque Tertullianus ad Scapul. *Colimus Imperatorem ſic quòmodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt, à Deo conſecutum, ſolo Deo minorem, ſic enim omnibus hominibus maior eſt, dùm ſolo verò Deo minor eſt.* Et contra Marcionem lib. prmio. *Rex ſummũ magnum eſt in ſolio ſuo vſq; ad Deum.* Cui Optatũ Mileuitanũ adiungimus, cuius expreſſa ſententia eſt; *Super Imperatorẽ non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorẽ.* Quæ duo loca cũ Rex sereniſſimus pro Regiâ ſupra Pontificem ſupereminentiâ aduerſus Bellarminum oppoſuiſſet, ſpectrum Bellarmini, Mathæus Tortus, certè idem ipſe Bellarminus, malitioſè conuoluens & confundens omnia, reſponſum dedit vnum, plenum perfidiâ, pariter & impudentiâ, *Locis iſtis probari, quod nos*, inquit, *minimè negamus, deberi Principibus etiam infidelibus obedientiam à ſubditis fidelibus.* Apagè te verò miſer, quandò tam apertè vterque tibi tanquàm nouaculâ iugulum præcidit, quando definitè Tertullianus contra te dicit, Imperatorem, hominem ipſis creditum *à Deo ſecundum, ſolo verò Deo minorem*, omnibus hominibus maiorem, qui tibi tamen Pontifice tuo minor eſt. Et illam ſententiam in Apologetico confirmat iterum cap. 30. *In Dei ſolius poteſtate ſunt Imperatores, à quo ſecundi, poſt quem*

primi ante omnes. Attende verò, Imperator proximus à Deo eſt, ante omnes homines primus; ergo non Pontifice poſterior habendus. At illud à Tertulliano dictum vult Renatus Laurentius, hâc cauſâ, *Quod gentiles offendere nollet*, ita ridiculo commento bilinguem facit Tertul. & veritatis Chriſtianæ in ipſo eius Apologetico proditorem, Petro ſcilicet, & ſucceſſoribus eius iniuriam facientem, tantum vt Ethnicis, & Imperatori ſacrilego per mendacium gratificetur; vbi tamen tacere iſta commodiſsimè potuiſſet, niſi cum veritate Chriſtianâ coniuncta eſſe ſenſiſſet.

Cæterùm, vt melius vtriuſque coarguatur inſania, ſententia illa Optati paulò attentius conſideranda eſt. Ad quam vbi Bellarmini reſponſionem accommodo, venit mihi in mentem perſimile omnino ludibrium, quo in alterâ quæſtione ad ſubterfugiendam diſertiſsimam in ſe patrum quorundam authoritatem impudentiſsimè vſus eſt. Propoſitâ namque controuerſiâ *de cultu Sanctorum*, affert more ſuo argumenta noſtra, quibus idololatriã illam deſtruimus, quorum vltimum commemorat ex authoritate Patrum, Athanaſij, qui ſer. 3. contra Arianos docet, *Neq; Angelos, neq; ſanctos homines adoratione colendos eſſe*; Epiphanij contra Collœridianos ſæpiùs repetentis, *Nè Mariam quidem adorandam, ſed ſolum Deum*; Ambroſij in 1. cap. ad Romanos *reprehendentis eos, qui conſeruos ſuos adorant*; Auguſtini *de verâ relig. c.* 55. præcipientis, *ne religio nobis ſit cultus hominum mortuorum, vel etiam angelorum*; quibus quid apertius? quid ad Papiſticam ſuperſtitionem profligandam fortius, vel accommodatius dici poterit? Attendite iam quid reſpondeat, & ad incredibilem hominis audaciam, & proſtitutam mendacijs conſcientiam attoniti ſtate. *Ad vltimum ex patribus dico*, inquit, *eos loqui contra errores gentilium, qui ex hominibus ſceleratis veros Deos faciebant, eiſq; ſacrificia offerebant.* Loquuntur illi nominatim de Angelis, & Sanctis, & Mariâ virgine, & tamen dico, inquit, *Eos loqui contra errores gentilium, &c.* vnde conſequitur vt ex mente patrum ſecundum Bellarminum virgo beatiſsima cum

[Margin notes: *De beatit. ſanct. l. 1. c. 11.* — *Cap. 14.*]

An-

Angelis, & Sanctis, in *ſceleratis hominibus* an numeranda ſit. Pari perfidiâ, & ſcelere clariſsimum Optati teſtimonium eludit, *Probari eo, quod illi minimè negant, deberi Principibus infidelibus obedientiam à ſubditis fidelibus.* Atqui ſciendum eſt, Optati ſententiam Chriſtianis temporibus de Imperatore Chriſtiano pronunciatam eſſe, facto ibi ſermone de Conſtante Imperatore, quem *Chriſtianum, & Deum timentem, & religioſum* appellitat. De Imperatore Chriſtiano dicit; *Super Imperatorem non eſt, niſi ſolus Deus qui fecit Imperatorem.*

Attendite verò quomodo ſententiam illam in Donatū, hæreticum Donatiſtarum patrem, Papam ſcilicet Africanum intorqueat, *Cum ſuper Imperatorem non ſit, niſi ſolus Deus qui fecit Imperatorem, dum ſe Donatus ſuper Imperatorem extollit, iam quaſi hominum excesſerat metas, vt ſe vt Deum non vt hominem æſtimaret, non verendo eum qui poſt Deum ab hominibus timebatur, quia quicquid, inquit, eſt ſupra homines, iam quaſi Deus eſt.* Ergo ad illum accomodat quod Ezechiel Propheta de Tyro commeminit, *Dixiſti, ego ſum Deus; ideo quia quamuis non ſit vſus hac voce, tamen aut fecit, aut paſſus eſt, quod defectum huius vocis impleret.* Accommodet iſta iam Bellarminus ad Pontificem ſuum; *Super Imperatorem non eſt niſi ſolus Deus qui fecit Imperatorem. Qui ſuper Imperatorem ſe extollit, hominum excedit metas, Deum ſe facit, Quamuis non vtatur vocabulo deitatis, facit tamen quod huius vocabuli defectum impleat.* Pontifex ergo Romanus Pontificem Africanum imitatus extollendo ſe ſuper Imperatorem hominum excedit metas, Deum ſe facit, & eo ſe, coëuntibus reliquis indicijs, magnū illum Antichriſtū eſſe denunciat.

Accedit ad Regias partes Chryſoſtomus quoque, qui cùm vrbs Antiochena, regnante Theodoſio, propter ſeditionem, & Imperatricis ſtatuam contumelioſiſsimè habitam periclitaretur, per concionem, vt grauitatem offenſæ deſignaret, ita inter cætera populum affatur, *Læſus eſt qui non habet parem ſuper terram, ſummitas & caput omnium ſuper terras hominum.* Apertum eſt quod dicit, Imperator non habet parem vllum ſuper terram, ſummitas *Theodoret l. 5. cap. 20.* *Ad popul. Antioch. hom. ſecunda.*

 eſt,

eſt, &c. Conſentit, ad eundem Theodoſium epiſt. perfixa, Cyrillus libris aduerſus Iulianum, *veſtræ ſerenitati nullus ſtatus æqualis eſt*; & *idem de recta fide ad eundem*; *vos eſtis & ſummarum dignitatum fontes, & ſupra omnem eminentiā.*

Secutus eſt Agapetus diaconus Conſtantinopolit. poſt, vt videtur, Epiſcopus Romanus, ad Iuſtinianum Imperatorem qui, vt multa habet in eam ſententiam, *Honore quolibet ſublimiorem habes dignitatem*; *omnibus hominibus à Deo prælatus es*; *Deus nulla re indiget, Imperator ſolo Deo*; tum illud maximè, *non habet Rex in terra ſe quicquam excelſius.* Quam ſententiam Antonius Abbas cognomento magnus in meliſſas ſuas tranſcripſit, at illam Index expurgatorius Hiſpanicus liturâ iugulauit, *Deleantur*, inquit, *illa verba*; *non habet Rex in terra ſe quicquam excelſius.* Et tamen illum quoque Maximus olim Monachus in ſermonibus ſuis amplexus eſt, vt eiuſdem ſententiæ tres nobis authores ſint.

Denique quod idem in *Nouell conſtit.* Iuſtinianus aſſumit, *Imperator recipit à Deo communem gubernationem, & principalitatē ſuper omnes homines.* Hoc ei cedit liberaliter Gregorius ipſe Romanus Epiſcopus ad Maurit. Imperatorem *poteſtas ſuper omnes homines dominorum meorum pietati cælitus datur.* Vbi præterquam, quòd Regi poteſtatem ſuper omnes omninò homines diuinitùs conſtitutam attribuit, hoc quoque obſeruandum occurrit, illum Imperatores, cùm ſit Romanus Epiſcopus, Dominos ſuos appellare, quo ſe quoque quanquam ſit Romanus Epiſcopus, ſubiectum tamen Imperatori recognoſcit.

PRÆ-

PRÆLECTIO SECVNDA.

I. *Modeſta auctoris excuſatio ad beneuolentiam auditorum conciliandam præmittitur.* Paragraphi.

II. *Status quæſtionis de ſupremâ Principis poteſtate explicatur.*

III. *Bellarmini in ſupremâ Pontificis poteſtate aſſerenda inconſtantia, & ridiculæ ſtrophæ, & Mæandri exagitantur.*

IV. *Oſtenditur nomine poteſtatum ſupereminentium apud Paulum, & humanæ ordinationis apud Petrum, politicos principatus, non Eccleſiaſticos deſignari.*

V. *Varia Patrum teſtimonia recitantur, quibus ſupremum faſtigium, & culmen poteſtatis Regibus attribuunt.*

SI quam propenſa mihi voluntas iuuandi veſtra Theologorum ſtudia, (Ornatiſſimi auditores quicunque eo loco & numero eſtis) tam explorata ratio eſſet cupedias, & epularum ſcholaſticarum lautitias apparandi & adornandi; quæ huiuſmodi conuiuis excipiendis accommodatæ ſint, multum me recrearet conſpectus iſte veſter, & præſentia, nec in hæc ſubſellia ſine ſummâ prodirem alacritate, qui Chriſto, qui Eccleſiæ, qui vobis ſacrum opus, & vtile me facturum arbitrarer. Atqui vero iterum mihi, ordinarias iam ſi pote operas inchoanti dicendum eſt quod dictum prius, vbi me cogito, quam etſi inter aliquos fortaſſe aliquis, inter omnes prope nullus ſim, quantaque mihi huius tanti operis adminicula partim deſuetudine labefactata, partim verò nunquam percepta deficiant; quantâ proinde cum difficultate hoc mihi onus ſubeundum, & ferendum ſit perplexum hærere me fateor, & anxium pendere animi, dum mihi metuo, ne quo modo fraudem factam putetis expectationi veſtræ, vel minus præſtitum arbitremini, quam habita de me exiſtimatio, quæ huic cathedræ pręficiendum iudicauit, promiſiſſe videatur. Et tamen anxietatem hanc diminuit mihi haud parum, conſueta benignitas, I.

& patientia veſtra, quos è rebus veſtris exiſtimaturos non diffido, quid mihi hac in cauſa concedendum, aut condonandum ſit, nihil vt mihi de Ariſtarchis, & Momis laborandum putem, qui vel rigidè ad ſtateram ſuam appendant omnia, vel operâ inutili & ingratâ nodum aliquando quærant in ſcirpo, & in delitijs habeant rodere aliena, ſolicitè interim cautiue edant ſua. Ac per illam benignitatem veſtram rogandi mihi plurimum eſtis, nequid vobis peccare videar, ſi iam initio rarius hoc officium implere contingat, partim quod ſereniſsimi Regis imperio aliud mihi adhuc ad incudem opus feruet, quo nondum perfecto, & tamen quanta fieri poteſt feſtinatione perficiendo, maximam huius termini partem vobis intercipi neceſſe ſit, partim quod per illius operis occaſionem nihil adhuc otij fuit conquirere, & comparare verſando, & legendo, quæ aſsidue ad docendi vſum præſto eſſe debeant, concinnanda ſubinde nouis operis, & ad ſcholæ diſciplinam, & vſum elucubranda. Certè quemadmodum fit in architecturâ vt comportetur primo lignorũ & lapidum idonea ſylua & materies, quę repetito labore cõmiſſa locis, & ad amuſsim compaginata de fundamento in parietes, & tabulata, & tecta conſurgat, ita de hoc negotio noſtro conſtituendum eſt, temere facere, cui inter legendum omnia tanquam opere tumultuario conquirenda ſint. Qui certè operam inſtituit congerere primò per otium oportet tanquam aceruos rerum, quæ poſt in æſtu operis, ſuis quoque locis diſtribuendæ ſint. Quamobrem incommodè admodum accidit, vt duo mihi ſimul occurrant ſaxa voluenda, quorum dum alteri manum admoueo, neceſſariò mihi alteri ſuperſedendum ſit. Quo ſiquidem fiet, vt poſt vnam alteramue lectionem, ſilentium mihi ad tempus imperare neceſſe ſit, idque bonâ veſtrâ cum gratiâ futurum confido, quibus nihil hic indulgeri otio meo, ſed officio publico attribui, maiori (vti ſpero) cum Eccleſiæ compendio manifeſtum eſt.

Antilogia ad Apologiam Garneti.

II Cæterùm nè vltra vobis præfando moleſtus ſim, de Regum in regnis ſuis primatu delectam mihi meminiſtis dicendi materiam ex apoſtolica præceptione, quam propoſui.

poſui. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto:* ex quâ poſtquam de ſupereminentibus poteſtatibus, de animabus ſubijciendis, de modo, & menſura ſubiectionis clariſsima ſententia conſtiterit, liquidiſsima ſpero conſequetur & probatiſsima Eccleſiæ Anglicanæ defenſio, quam tantoperè paraſiti Papales irritis iris oppugnant, in Rege eſſe *Supremam ſecundum Deum in Regno ſuo poteſtatem imperandi omnibus, & circa omnia.* Vbi Regi ſummam poteſtatem vindicamus quòd ab Apoſtolo ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι, ſupereminens poteſtas propriè Regibus attributa ſit, cui nequid decedat, neuè vlla hic interponatur perſonarum exceptio, Regiæ poteſtati prærogatiuam in omnes animas datam oſtendemus, vt nè quidèm hic Epiſcopi, nè Romani quidèm Pontifices excipiendi ſint. Ac nè in rebus quicquam ſit quò Regia poteſtas non extendat, omnia illis eatenus in poteſtatem data demonſtrabimus, vt ſupremum ius habeant, non quidem adminiſtrandi omnia, quod impudentiſsimè calumniantur Aduerſarij, ſed tamen imperandi circa omnia, ſiue *Ad ſocietatem humanã ſiue ad Religionem diuinam* (vt diſtinguit *Auguſtinus*) referenda illa ſint.

III Atque hic Bellarminus, Pontificiarum partium hoc tempore anteſignanus meritò reprehendendus eſt, qui vt contrariam ſententiam tueatur, & Pontifici ſupremam poteſtatem aſſerat, in Mæandros illos, & labyrinthos incurrit, inque illas ſe perplexitates induit, vt mirum ſit, quàm miſerè torqueat ingenium, explicando ſe, quàm ridiculum ſe faciat, dum in omnes formas ſe vertit in cauſâ, dum anfractus petit, & diuerticula, & latibula, & funes ſibi ex arena nectit, & modificationibus nouarum diſtinctionum, & temperamentis vtitur, quæ peſsimæ cauſæ debilitatem, & deſperationem produnt. In primâ operum editione *melius eſt*, inquit, *Petrum & Paulum Imperatori Romano, non facto tantùm, ſed iure, fuiſſe ſubiectos.* Excandeſcunt eâ de re Domino *Quinti*, Sixtus & Paulus; periculũ eſt, nè liber eâ de cauſâ in vetitos referatur. Recognoſcendo ergo dicit, *Melius eſſe vt facto tantùm* dicantur non iure fuiſſe ſubiecti, *authoritas quippè ſummi Pontificis*

De Ro. Pont. l. 2. c. 29.

Pag. 16. 17.

Pag. 47.

paulatim

De Rom. Pon. lib. 5. ca. 8. *paulatim magis atque magis declarata eſt.* In primâ editione non probat, vt principes infideles priuentur dominio, niſi auertere conentur fideles ſibi ſubiectos à fide. In pag. 44. recognitione operum *non approbo,* inquit, *quod dixi. Ego Durandum ſecutus ſum, ſed authoritas Sancti Thomæ contra quem Durandus diſputat, meritò præualere debet, poſſe priuari abſq; hoc, quod conentur auertere fideles ſibi ſubiectos à fide.* In primâ editione operum dicit, *ex decreto Pontifices ſolitos fuiſſe eligi aliquandò ab Imperatoribus.* Hoc quia præiudicio Pontificis eſſe potuit, in Recognito opere. de Cleric. cap. 28. *Eos canones didici,* inquit, *poſtea non eſſe ſatis probatos.* In priori editione Apoſtoli ſententia hæc, quam exponimus *Clericos,* teſte Chryſoſtomo, *Regibus ſubiectos eſſe iubet;* In poſteriori editione *non tenet Clericos ſententia iſta, quia* de Cleric. cap. 28. *Reges Clericis non ſunt Reges.* In prima editione *Clerici à iure Principum eximuntur, non iure diuino, ſed tantum humano.* In poſteriori *non iure tantum humano, ſed diuino quoque excipiuntur.* Dum vero Pontificiæ poteſtatis notionem informat, ecquis eſt qui leuiſsimam hominis vanitatem non irrideat, qua in tantâ cauſâ tam pueriliter nu- De Ro Pont. lib. 5. cap. 1. cap. 1. cap. 6. gas, & ineptias ſuas agit? Habetne vero Papa poteſtatem deponendi Reges? Maximè habet. *Saltem quandam; & quo illam nomine? Non vt Papa, ſed vt ſummus Princeps ſpiritualis.* At vnde Princeps ille ſpiritualis? Quæ Scripturæ? Qui Patres? Quæ Concilia docuerunt? altum ſilentium: mementote ſeculo demum decimo-quinto natum Bellarmini tanquam Mineruæ cerebro Principem nouum ſpiritualem, qui Papa ſit, non vt Papa, ſed vt alter quidam à Papa: *Pictoribus atq; Poetis, Quidlibet edendi ſemper fuit iſta poteſtas.* Cuiuſmodi vero illam dicis? *ſummam* certe, & *ampliſſimam.* An verò Principi ſpiritu- cap. 6. ali temporalem poteſtatem attribuis? *Temporalem* quidem, *ſed non merè temporalem.* Sed qua tandem ratio- cap. 5. ne ad illum pertinere vel peruenire credatur? *non directè, non abſolutè, non propriè,* ſed indirectè, *& conſequenter, non omni modò, ſed ſane quadantenus.* Semperne verò cap. 5. illi ius poteſtatis huius? Minimè verò, ſed tantum *caſualiter & incidenter.* Et quibus tandem authoribus iſta

omnia

omnia? Nemo hic ſanctorum Patrum, non Auguſtinus prodit, non Hieronymus, non Chryſoſtomus, non Cyprianus, Tertullianus, Hilarius aut quiſquam antiquorum; Sed Hugo Victorinus, & Durandus & Bonauentura & Gandauenſis, & Paludanus & Petrus Aliacenſis, & ne numerus deſit, Albertus Pighius & Nicholaus Sanderus, graues ſcilicet doctores, quibus arbitris ruere iam oportet maieſtatem Principum, & ſupereminere poteſtatem Papæ, *non vt Papæ*, ſed *vt Principis ſpiritualis*, illamque ſaltem *quandam*, non *merè temporalem*, *indirectam, impropriam, obliquam, tantummodo caſualem* & planè nullam. Et hic tamen quoque quam perfidè agit, qui doctiſsimorum virorum ex Eccleſia Romana ſententias ſibi aduerſas celat prorſus quaſi nulli vnquam tales auditi ſint. Immò qui in poſteriori editione Alēſem, & Almaynum Pariſienſem pro ſe citat, quos omiſerat in priore, quia ſine dubio ſententiæ ſuæ contrarios (prout poſtea videbimus) intellexit. In eo verò adhuc impudentiùs ſe gerit, quod nouellam hanc traditionem, & hæreſim, ſic enim Leodienſibus, & Sigeberto viſa olim eſt, nullo prorſus veteris Eccleſiæ teſtimonio ſubnixam; ille tamen ad Archipresbyterum nuncupare auſus eſt, *Vnum ex præcipuis fidei noſtræ capitibus, & religionis catholicæ fundamentis*, Credite verò mihi, fratres, vos, quibus per voſmetipſos non innoteſcit, nihil hoc homine perfidioſius dici poſſe, nihil ad omnem fallendi opportunitatem auidius, nihil ad conſcientiæ mercimoniam, & venalitatem omnem proſtitutius.

Cæterùm, vt miſſa iſta faciamus, & ad rem propoſitam accedamus, nihil dubito quin memineritis dictum ante à nobis eſſe, ἐξουσίας ὑπερεχούσας, poteſtates ſupereminentes hic ab Apoſtolo commemoratas, tantum ad politicos principatus pertinere, ad eas ſcilicet poteſtates quæ *ſunt ſecundum homines*, per quas imponit *Deus humanum timorem*; vt Irenæus lib. 5. cap. 20. eaſdem ipſas, vt idem ibidem notat, de quibus Solomon *Prou. 8. Per me Reges regnant, & Poteſtates tenent iuſtitiam, per me Principes exaltantur, & tyranni terræ &c. Auguſtinus expoſ. q. propo-*

 ſit.

ſit. 72. ſublimioribus, poteſtatibus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt: hominibus res humanas cum aliquo honore adminiſtrantibus. Idem Auguſtinus de Catechizandis rudibus, cap. 21. ſignificat hâc ſententiâ doceri *Eccleſiam Chriſti in omnibus Sanctis eius ſeruituram eſſe ſub regibus huius ſeculi, & omnibus*, inquit, *præcipitur ſeruire humanis poteſtatibus, atq; terrenis, quouſque Eccleſia ab huius ſeculi confuſione liberetur.* Quin & Magiſter ſententiarum lib. 2. diſt. 44. 6. *loquitur ibi Apoſtolus de Principe & huiuſmodi.* Quibus ſolis gerere conſuetum inſignia poteſtatis, faſces, gladios, ſecures; de illâ vero poteſtate loquitur Apoſtolus, *Quæ gladium portat*, & de poteſtate iſta ait, *Miniſter Dei eſt ad vindictam. Omnia verò crimina quæ vindicare vult Deus, non per Antiſtites, & Principes Eccleſiarum, ſed per mundi Iudices, voluit vindicari: Quare poteſtatem ſeculi, & iudicium mundi, Dei miniſterium dicit.* Et illis ſolis pendentur vectigalia & tributa. Loquitur autem Apoſtolus de illa poteſtate cui vectigalia & tributa ſoluuntur; vt ne Anglo-Rhemenſibus quidem noſtris aliter quàm de ciuili Magiſtratu interpretari animus fuerit.

Origen in locum.

Nec abludit Seruator Chriſtus cui οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν & οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν Reges gentium & poteſtatem in illis habentes idem ſunt, vtroque nomine Apoſtolis interdicto; *vos autem non ſic*; quâ ratione ſolis illis gerere conſuetum inſignia poteſtatis, ſicque non à veteribus tantùm, ſed & ab Anglo-Rhemenſibus noſtris interpretationem loci datam eſſe docuimus: confirmatam illam porrò dedimus à Petro, qui ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις exponit alijs verbis πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, omnem ordinationem dignitatis, quæ, vt mihi Beda videtur commodiſsimè reddidiſſe, *Humanæ conditionis eſt; ſiue quæ ſecundum homines eſt.* Vt modo Irenæus ad hunc opinor locum alludens. Ita deſignat Principatum ciuilem, qui citra religionem Chriſtianam ad ipſam hominum inter ſe ſocietatem tuendam neceſſariò comparatus eſt.

Ἀνθρώπινη eſt enim quod hominibus conuenit, ex eo quod homines ſunt, & apud homines viuunt. Vndè illud Apo-

ſtoli

ſtoli Pauli. *1. Cor. 10. Tentatio vos non cepit.* εἰ μὴ ἀνθρώπινος *niſi humana*, quæ ſcilicet cum humanâ conditione coniuncta eſt, & Rom. 6. ἀνθρώπινον λέγω. Ex ipſo hominum vſu & more loquor. Quanquàm non diſplicet, vt ex Auguſtino de Catechizand. rudibus cap. 21. *Humanæ conſtitutionis Principes* interpretemur; quem facilè credo ad hanc Petri ſententiam reſpexiſſe, eâque ratione dictam exiſtimaſſe. κτίσει ἀνθρωπίνῃ quod in creandis Magiſtratibus, qui hominum vſui ac bono ſint, hominum Deus operâ plerunque vtitur; quemadmodùm in Imperatorum aliorumque principum electione conſuetum eſt. Quò tollit exceptionem, quâ freti fortaſſe homines, Bellarmino ſimiles, ſubducere ſe conantur ab obediẽtiâ Principibus exhibendâ, quod ab hominibus conſtituti ſint. Significat enim nihil hoc impedire, quo minus illis *propter Deum* obtemperandum ſit: qui à etſi per homines, *Non eſt tamen poteſtas niſi à Deo*, cuius arcano, ductu, & prouidentiâ, prouehuntur ab hominibus ad dignitates, quos vel propitius, vel iratus ipſe decernit, *qui dat Regibus iudicia ſua, & hypocritam facit regnare, propter peccata populi*. Inde Iob. 34.
Tertullianus ad *Scapul.* Imperatorem ait, *A Deo quicquid eſt conſecratum.* & Irenæus lib. 5. cap. 20. *cuius iuſſu homines naſcuntur, huius iuſſu & Reges conſtituuntur, apti his qui in illo tempore ab ipſis regnantur.* Quò ſignificat haud minus habere à Deo vt Reges ſint, quam vt ſint homines, adhibente illo vtrinque homines, per quos faciat eſſe illos quod cunque ſunt. Ita quidem vt interuentu hominum nihil regibus dematur, vt non immediatè à Deo ſint. *Tertul. apolog. cap. 30. inde Imperator, vnde homo antequam imperator, inde poteſtas, vnde & ſpiritus.*
Quemadmodum enim *Saul* & *Dauid* à *Samuele*, & *Ierobo-am* ab *Ahiâ*, & *Iehu* ab *Elizeo*, non tamen niſi Deo immediate auctore, Reges facti ſunt, ita in reliquis omnibus voluntas Dei immediata eſt de perſonis, per homines verò non niſi innoteſcit, quod immediatè à Deo eſt. Vbi quod in alterâ cauſâ ab Apoſtolo vſurpatur. *Neq́ qui plantat eſt aliquid, &c.* Idem hic de hominibus vſurpandum eſt (*Conſtantinorum 6. ſacra Imperial. ad Ro. Pontificem in Principio.*) *Spem habemus in Coronatore noſtro Deo. Act. 18. in acclamat. Concil. pag. 88. 6. A dextrâ Dei,* *Vide. 1. Sam. cap 9 ver. 16. &c.*

 qui

Google

qui cuncta creauit, & continet imperialis poteſtatis meritò Diadema ſuſcipiens Chriſto dilecte Imperator. Act. 4. epiſt. Agathon. & Synod. Rom. ad Imperiale faſtigium à Deo ſe coronatum, & hominibus præſtitutum ad ſalubriter gubernandum cognoſcit.

Ita videtis nihil hic de principatu Eccleſiaſtico, ſed duntaxat ciuili agi, quod per diſtributionem oſtendit Petrus; *Siue Regi, ſiue his qui ab illo mittuntur*, quibus omnis illa κτίσις ἀνθρωπίνη definienda eſt. Nos ad Reges omnia referimus, quia reliquis ſolum nomen Regium, authoritatem dat. Atque hunc Petrus cum Paulo conſentiens κατ᾽ ἐξοχὴν appellat, τὸν ὑπερέχοντα, vnum omnibus ſupereminentem *qui ſi deliquerit*, ſic enim Halenſis noſter interpretatus eſt, *non habet qui eum puniat vindicta corporali niſi Deum.* Quin ita ſupereminet vt Dei Imaginem habeat, Dei vicem gerat, vt ei omnis anima ſubijciatur, ſicut Deo, quemadmodum ex Ambroſio animaduerſum eſt.

Par. 3 q. 40. memb. 5. q. 4.

V. Atque hinc certiſsimum Regij primatus argumentum elicitum à nobis eſt: Quia enim Rex vicarius Dei, quod porro ex Pontificum Romanorum Eleutherij & Anaſtaſij ſententia docuimus, Pontifex autem nonniſi Vicarius Chriſti, quod ex Bellarmino conſtare fecimus, certè cum Deus ſit caput Chriſti, vt loquitur Apoſtolus, Vicarius Dei caput eſſe debet Vicarij Chriſti. Non ergo Pontifex Imperatoris, ſed Imperator Pontificis caput eſt. Addo, idque non in temporalibus tantum; ſed etiam in ſpiritualibus, quia Deus vtrinque caput, & ſupremus eſt, qui imperat quidem Chriſto ſpiritualia, non ipſe adminiſtrat. *Sicut Pater*, inquit, *mandauit mihi, ita facio.* Perinde ergo Rex Dei vicem gerens imperat in ſpiritualibus, non adminiſtrant niſi Epiſcopi, & Presbyteri qui in co Vicarij Chriſti ſunt: Huic argumento pondus additur ex conſideratione ſtatus Chriſti in terris, in quo non fuit ἐξουσία ὑπερέχουσα, non illa κτίσις ἀνθρωπίνη, cui ſecundum homines ſubiectio præſtanda fuit, quippe cuius regnum non fuit de hoc mundo; qui *deſuper in ſe datam Pilato poteſtatem agnouit*, nec vſquam; ne in ordine quidem ad ſpiritualia,

Ioan. 14.

Ioan. 19. 10.

quantum

quantum ad quæſtionem noſtram pertinere poterit, vim illam coactiuam obtinuit, in qua ſupereminentia poteſtatis eſt. Nam quod virgis expulit è templo ementes, & vendentes; Bellarm. teſtis eſt, *Chriſtum non eieciſſe homines illos è Templo, quaſi Pontificiâ, vel Regiâ poteſtate, ſed more prophetarum, zelo quodam diuino, quo Phinees occidit ſcortatores, & Elias Prophetas Baal.* Certè autem Vicarius Domino ſuo maior eſſe non poteſt; vt quia Chriſtus diſpenſatione minor Cæſare, Cæſarem oporteat maiorem eſſe Pontifice, vtut ille ſe peculiari priuilegio Chriſti Vicarium haberi velit. Ad hanc verò poteſtatem Regibus abſolutè, vt inter homines, ſupremam aſſerendam, ſuffragia Patrum adducere cæperamus. Tertullianus primò citatus eſt, qui *Imperatorem, à Deo ſecundum, omnibus hominibus maiorem, ſolo Deo minorem* nuncupat: Sub *cuius ſolius,* inquit, *poteſtate ſunt Imperatores*, à quo *ſecundi*, poſt *quem primi ante omnes.* Contra exceptionem Renati Laurentij ita *locutum Tertullianum*, *quod gentiles offendere nollet* (etſi vaniſsima illa eſt, quæ Tertullianum iuris Chriſtiani proditorem facit, & quidem vbi minime neceſſe fuit) addimus illam alteram ad Chriſtianos ſcriptam ſententiam contra Marc. lib. 1. *Rex eſt ſummum magnum in ſolio ſuo vſque ad Deum.* Diſputat ibi contra Marcionem, vnum Deum propriè & abſolutè dici debere *ſummum magnum:* Sed *Regem* quoque ſuo modo *ſummum eſſe magnum*, nempe in ſolio ſuo, & id quidem *vſque ad Deum*, vt inter Deum & Regem nihil intercedat, nihil Rege maius ſit. Vbi quod Tertullianus habet de ſummo magno ſimpliciter, idem quoque à nobis vſurpandum eſt *de ſummo magno* [illegible], ſecundum quid: *Non poteſt admitti, vt ſummo magno quis aliquam aſcribat diminutionem, vt ſubijciatur alij ſummo magno; deſinit enim ſi ſubijciatur.* Ergo cum Rex ſit ſummum magnum, ſuo modo non poteſt ſubijci alij ſummo magno: non Rex Pontifici, quia hac ratione deſineret eſſe quod eſt. Falſum eſt ergo quod Bellarminus affirmat, temporalem Regum poteſtatem ſubordinatam eſſe ſpirituali poteſtati Pontificis; Regem Chriſto, & Pontifici, Pontificem ſoli Chriſto ſubiectum

Bell. de Ro. Pon. lib. 5. cap. 4.

Ad Scapul. Apolog. c. 30.

 eſſe.

eſſe. Sunt iſta inſana phreneticorum ſomnia; fidem certè antiquitatis habent nullam; ſolutio vero eius ad primum Tertulliani locum de probatâ *ibi obedientiâ, ab ipſis* non negata, *principibus infidelibus exhibendâ*, reiecta eſt, quia hoc non eſt quod ibi quærimus; quinimò apertè inuenimus, quod ille negat, Imperatorem etiam infidelem *ſub ſolius Dei poteſtate eſſe, poſt illum primum ante omnes, omnibus hominibus maiorem, ſolo vero Deo minorem eſſe.* Quod idem Optatus Mileuitanus de Imperatore Chriſtiano & fideli docet; *ſuper Imperatorem non eſt niſi ſolus Deus qui fecit Imperatorem:* Loquitur enim de Conſtante, quem pium & religioſum fuiſſe teſtatur, & hac ratione Donatum quod ſuper Imperatorem ſe extolleret, Deum ſe feciſſe criminatur; quod idem de Pontifice Romano dicendum admonuimus, eoque ipſo Antichriſtum eſſe. Superſunt adiungenda porrò & explicanda reliquorum Patrum Teſtimonia quædam, quibus ad Regias partes accedunt, & eos ad ſummum poteſtatis faſtigium euehunt. Prætermitto hic Ignatij ſententiam ad Smyrnenſes: *honorare oportet & Regem*; non *enim quiſquam Rege præſtantior,* nec *ſimilis ei quiſquam in omnibus rebus creatis:* ſic habetur in vetuſtioribus quibuſdam editionibus Latinis, & quidem in illa, quæ ante paucos annos exijt Bibliothecâ Sanctorum Patrum Pariſ. 1589. edita. Quam tamen inſpecto codice Græco ſpuriam eſſe deprehendo; & Regem ibi pro Deo ſubſtitutum eſſe, *non enim Deo quiſquam &c.* Quod admonendum cenſui, nè quis in hac causâ ſententiam vſquam illam per errorem adhibendam putet. Quanquam & quæ Græcè ibi habentur, adulterina eſſe nihil dubito, & ab Ignatij pietate aliena, qui certè nunquam ſe in Chriſti authoritatem induiſſet, quomodo hic authorem videmus, qui citatâ ex Scripturis ſententiâ *fili mi, honora Deum & Regẽ*; corrigit illam tanquam nouus quidem legiſlator, *Ego vero dico, honora Deũ ſicut omnium authorẽ & Dominũ; Epiſcopum verò vt Principem Sacerdotum; poſt illum honorare oportet & Regem.* Certè hoc Ignatij modeſtiam minimè ſapit; quin potius recentiorem multò corruptelam præ ſe fert. Vt

multa

multa alia prætercam, quæ cum illius ſeculi ratione coniuncta eſſe non poſſunt. Cyprianum verò adducit Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis ante annos ſeptingentos in hęc verba; *Rex in throno hominum primus conſtitutus eſt*; qui quidem Hincmarus, vtut Sacerdotem, miniſterij dignitate, quâ etiam Regibus ipſis ſacra fiunt, in altum tollit, thronum tamen Regium iure poteſtatis, & imperij ſupra omnia terrena ſublimem facit. Chryſoſtomus autem diſertiùs adhuc rem agit, qui cum vrbs Antiochena, regnante Theodoſio, propter ſeditionem, & Imperatricis ſtatuam contumelioſiſsimè habitam periclitaretur (qua de re Theodoretus Hiſtoriarum lib. 5. cap. 20.) per concionem, vt grauitatem offenſæ deſignaret, *Læſus eſt*, inquit, *qui non habet parem vllum ſuper terram*; *ſummitas & caput omnium ſuper terras hominum.* Apertum eſt quod dicit, & de Imperatore Chriſtiano dicit; non habet parem vllum ſuper terram; ſummitas eſt & caput omnium ſuper terram hominum. Cui affine eſt quod idem poſtea Paulinum Patriarcham Antiochenum dicentem introducit, qui Imperatorem appellat *hominem ſuper terram æqualem habentem neminem.* Scio verò ex Chryſoſtomo quædam afferri quæ explicatione aliquâ indigeant, de quibus ſuperſedeo nunc dicere, quia proprius eorum locus poſtea futurus eſt. Cæterùm cum Paulino Antiocheno Patriarcha, & Chryſoſtomo non ita multo poſt Patriarchâ, Conſtantinopolitano, coniungimus quoq; Cyrillum eodem fere ſæculo Patriarcham Alexandrinum, qui ad alterum Theodoſium Iuniorem Epiſtolâ dedicatoriâ librorum aduerſus Iulianum, *Veſtræ*, inquit, *ſerenitati nullus ſtatus æqualis eſt.* Iterum quoque ad eundem in dedicatione libri *de recta fide*; *vos eſtis omnium dignitatum fontes, & ſupra omnem eminentiam*, in quo illum *euidentem illuſtris & omnium ſummæ* (hoc eſt) *diuinæ Nobilitatis typum facit.* Videtis quos vobis authores proferam, apices ipſos illo ſeculo Eccleſiaſticæ dignitatis, qui tamen Regi ſupereminentiam, hoc eſt ſupremum faſtigium, & culmen ipſum poteſtatis attribuunt, neque quicquam in terris cum Regiâ dignitate conferendum eſſe decernunt.

Hincmar. de poteſt. Reg. & Pont ad Caroloman. cap. 7.

Aug de 12. abuſ. grad. c. 9. tom. 9.

Ad pop Antioc. homil. ſecunda. οὐ γάρ ἐστιν ὁ ὑβρισθεὶς ὁμότιμόν τινα ἔχων ἐπὶ τῆς γῆς· βασιλεὺς γὰρ κορυφὴ καὶ κεφαλὴ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ἐστιν ἁπάντων.

Ad pop. Antioch. hom. 20. Ἄνθρωπον οὐδένα ἔχοντα ὁμότιμον ἐπὶ τῆς γῆς.

decernunt. Secutus eſt altero ſeculo Agapetus Diaconus Conſtantinopolitanus, idem ipſe, ni fallor, qui paulò poſt ad Epiſcopatum Romanum prouectus eſt, qui in *Schedâ Regiâ* ad Iuſtinianum Imperatorem multa habet in illam ſententiam; *Honore quolibet Sublimiorem habes dignitatem*; *Omnibus hominibus à Deo prælatus es*; *Deus nullâ re indiget, Imperator ſolo Deo*; illud verò maximè; *Non habet Rex in terrâ ſe quicquam excelſius.* Quam ſententiam Anthonius Abbas cognomento magnus in *Meliſſas* ſuas tranſcripſit tanquam dignam animaduerſione, dignam nouis literis & memoriâ (habentur autem Meliſſæ illæ in editione ſecundâ Bibliothecæ ſanctorum Patrum tomo 3.) illam verò Index expurgatorius Hiſpanicus liturâ iugulauit; *Deleantur illa verba, Non habet Rex in terrâ ſe quicquam excelſius.* Satis ſcilicet ſiue pro faſtu, ſiue pro imperio, quia penes illos eſt ſtatuere (ſi creditis) de regibus tanquam in talorum ludo, Coine an canes futuri ſint.

Biblioth. tom. 2. Agap. cap. 1. cap. 16. cap. 63. cap. 21.

Lib. 2. ſer. 1. Biblioth. l. 5.

PRÆ-

PRÆLECTIO TERTIA.

I. *Ratio redditur, cur interdum caro, interdum anima pro toto homine in ſacris literis vſurpetur.* *Paragraph.*

II. *Notatur vocabulo animæ Apoſtolum requirere, vt non corporis tantùm obſequium, ſed animæ quoque voluntatem, & affectum principibus deferamus, ne mutila ſit, & ſimulata obedientia, qualis ferè eſt Romanenſium Catacatholicorum.*

III. *Oſtenditur Clericos, vtut Principes multa ijs priuilegia ex ſingulari benignitate indulſerint, iure tamen diuino non eximi à principum ſubiectione.*

IIII. *Pontifices Regiæ poteſtati obnoxios fuiſſe, adeòque regnum ſimpliciter præeminere Sacerdotio varijs argumentis, & exemplis ex veteri teſtamento depromptis docetur.*

V. *Bellarmini exceptiones variæ aduerſus prædicta teſtimonia, & exempla pro ſupereminentiâ poteſtatis Regiæ, ventilantur.*

SVperfuit ſuperiore lectione ad ea reſpondere, quæ ab Aduerſarijs aduerſus ſummam poteſtatem Regiam vſurpata, in libris & ſermone iactata ſunt. Sed quia pars illa de ſublimitate Regiâ cum parte altera *de omnis animæ ſubiectione* ita complicata, & coniuncta eſt, vt abſque alterius iniuria lædi neutra poſsit, quia neque Regi ſupereminentia in omnes dari poteſt, niſi omnis anima ſubijci teneatur, nec omni animæ competere ſubiectionis officium, niſi Regi in omnes ſupereminentia debeatur, viſum eſt differre ſolutionem obiectionum, quæ partem vtramque ſimul feriunt, quouſque à nobis illud quoque detur effectum, omnem animam ſupereminentibus illis, quas dixi, poteſtatibus iure ſubiectam intelligi oportere. Hìc vero quia maximè ad controuerſiam attenti ſumus, non erit neceſſe multis ſynecdochen illam explicare, quæ in Scripturis tam frequenter occurrit, quâ pars altera hominis, caro interdum, interdum a- I.

nima pro toto homine vſurpatur. Certè quia carne immerſa eſt anima noſtra, & ad carnalis vitæ cupiditates per ſe prorſus abiecta: vnde Origenis illud, *Animas noſtras incarnauimus & incraſſauimus*, meritò interdum totus homo carnis vocabulo dehonoratur, & vtiliter admonemur quantâ calamitate noſtrâ contigerit, vt mens ipſa, ſcintilla lucis æternæ, in qua ſimulachrum quoddam, & Imago diuinitatis impreſſa eſt, ad fœdiſsimas voluptates, & libidines incuruata, brutorum propè ſordes cum ſummo naturæ ſuæ dedecore referre videatur. Et tamen nè animæ ſuæ immemor remittat prorſus induſtriam, qua reſurgere ad naturæ ſuæ dignitatem, & priſtinos honores reſarcire moliatur, totum hominem animæ nuncupatione condecorat; & nomine à præſtantiori parte deſumpto monet ne in ſordibus, & luto ſuo hæreat, neue, quam de cœlo factam meminerit, eam cœno, & ſtercori mancipatam, æterniſque incendijs addictam interire patiatur.

Orig. in Pſal. 38. hom. 2.

II Sed eſt, opinor, aliquid quod hic porrò in animæ vocabulo animaduertendum ſit, quo requirere videtur A-
I poſtolus, vt non corporis tantum obſequium, ſed animæ quoque voluntatem, & affectum Principibus accommodemus, ne mutila ſit & ſimulata obedientia, quæ non de corde profecta ſit: Haud minus quippe Principibus quam Dominis attribuendum eſſe vult; ſeruis autem in Dominos ita præcipit, nè ἐν ὀφθαλμοδουλείαις, ſiue κατ᾽ ὀφθαλμοδουλείαν obediant, ſed *quodcunque* inquit, *facitis* ἐκ ψυχῆς ἐργάζεσθε, tanquam *Domino & non hominibus*. Atque ita *Tho. Aquinas*; *vtitur hoc modo loquendi, quia ſubiectionem debemus ſuperioribus ex animo, id eſt, ex purâ voluntate*. Neque enim probauit Apoſtolus Romana, quæ nunc geruntur, obſequia, quæ vultu tantùm, & manu conſiſtunt, animo interim dira conſilia meditante, & cum Iuda ad omnem proditionis opportunitatem inuigilante: tale illud, quod Pontifex Gregorius 13. Parſono & Campiano petentibus, indulſit catacatholicis ſuis, nè teneret eos, *rebus ſic ſtantibus* (nempe vt ſceleratas iras ſuas in Reginam vlciſci non poſſent) interdictum Pij Quinti, quominus ei liberè obtemperarent,

Col. 3.

temperarent, *quouſque bullæ executio fieri poſſet*, interim vt in omnem perdendæ Reginæ occaſionem intenti ſint; Eandem perfidiam,& hypocriſin aluit immiſsis huc Agnis Dei, qui vocantur, cum addita emblematis inſcriptione, *Fili, da mihi cor tuum,& ſufficit*, quo permiſſum illis eſſe voluit, vt ad tempus, prout vſus foret, in omnes vultus ſe componerent, ſeruato interim ipſi corde, quod ſemper ad rebellionem, illo iubente, præſtò eſſet; & talem quidem obſeruantiam Bellarminus Gregorij magni fuiſſe affirmat, qua Mauritium Imperatorem coluiſſe viſus eſt, fictam prorſus & ſimulatam, nec religione præſtitam, ſed metu coactam & expreſſam, nihil iam vt miremur, quòd ſuis perfidioſos iſtos mores apud vos exercendos indulgeant, quos tanto viro, Ieſuita tribuere haud veritus eſt; qua tamen in re quantam ſanctiſsimo viro iniuriam faciat, & mentito crimine alieno, verum perfidiæ ſuæ crimen improbè tegat, poſtea, Deo volente, manifeſtum fiet.

Interim vt ad propoſitum negotium reuertamur, quacunque demum ratione Apoſtolus animæ nuncupatione hominem deſignandum arbitratus ſit, luculentum hoc, & manifeſtum eſt homines vniuerſim omnes, & ſigillatim ſingulos præceptione iſtâ apoſtolicâ ad ſubiectionis officium & præſtandæ Regibus obſeruantiæ conſcientiam obligari. Hic vero Bellarminus, vt eſt præſtigiator, & mirus illuſionum artifex, quod extendendo fecit in *ſupereminentium poteſtatum* expoſitione, hoc idem facit, hic, in omni anima, curtando, & minuendo. Quanquam enim efficere non potuit, quod maximè voluiſſe non dubito, vt Clerici omnes in poteſtatibus ſupereminentibus accenſendi ſint, fecit tamen quantum penes ſe erat, ne Clericus quiſquam in *omni anima* numeretur, quæ ſubiectionem Regibus præſtare teneatur. Ergo in quæſtione de *exemptione Clericorum, lib. de Cler. cap.* 28. proponit ſibi obiectam ſententiam hanc, *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto.* Reſpondet ille *quamuis iure diuino ſit omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta, quia tamen Clericos partim ipſi principes ſubiecerunt in omni-* III

De Cler. c. 28. *poſter. edit.*

bus cauſis Epiſcopis ſuis, & poſtremò ſummus Pontifex Clericos omnes exemit à ſubiectione Principum ſecularium, ſequitur vt reſpectu Clericorum non ſint Principes ſuperiores poteſtates, ac proinde non teneantur Clerici Principibus parere, neque iure humano neque diuino. Videte verò hic neruum ipſum regni Antichriſti; videte ex profeſſo ius diuinum iure Pontificio profligatum. Quamuis iure diuino omnis anima Principibus ſubeſſe teneatur iure tamen Pontificio cautum eſt, nè Clerici ſubijciantur. Quod enim ait, Principes ſubieciſſe Clericos Epiſcopis ſuis, in eo mirum eſt improbus furcifer quàm indigniſsimè bonitatem Principum, & pietatem ad ſuam ipſorum iniuriam redundare faciat. Dederunt quidem Principes Epiſcopis, honoris cauſâ, vt Clericorum ſuorum cauſas audirent, & ad reuerentiam miniſtris ſacrorum in plebe conciliandam conceſſum eſt, ne ad communia iudiciorum ſubſellia comparere cogerentur. Ac de hoc Epiſcoporum Priuilegio, Leo Romanus Epiſcopus tempore ſuo commeminit; *Imperatores eius diſtringendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis, iuxta diualia conſtituta permiſerunt.* Quid autem? an quia Iudices à Rege conſtituuntur qui Laicorum cauſas cognoſcant, & dijudicent, ideò ille principatu ſe abdicat, vt deinde ius, & poteſtatem de illorum negotijs cognoſcendi vel illis imperandi nullam habere cenſendus ſit? Quo pacto fiet, vt quia Principes Clericos Epiſcopis ſuis in hoc caſu ſubijciunt, qui & ipſi ſubiecti ſunt, ideò iure ſuo dimittant, vel Clericos, vel Epiſcopos nè ampliùs illi ſubditi, neue ipſi illis poteſtates ſupereminentes ſiue Reges ſint? Enimuero immunitates multas & priuilegia Clericis, & Epiſcopis ſingulari Principum benignitate indulta eſſe cognouimus; qui verò vel Clericos vel Epiſcopos iure ſuo, & poteſtate immunes eſſe iuberet nè in ſubditorum numero haberentur, nemo Rex vnquam auditus eſt. Totum ergo hoc à Pontificis arbitrio dependet, qui factus ipſe Domino ſuo perduellis, & proditor, Lucifero ſimilis, ne ſolus ſit, legiones ſuas ſibi conſortes habere deſiderat, & Sacerdotum exercitum eiuſdem ſecum perfidiæ ſocietate confœderat. Longè ve-

Leo epiſt. 94.

ro hic ab inſtituto veteris Eccleſiæ diſceſſum eſt, cui de hac exemptione Clericorum nihil vnquam in mentem venit: Certe Chryſoſtomus ab hoc ſenſu ita longe abſuit, *vt omnem animam* de Principibus ipſis Clericorum, ſi ita loqui liceat, interpretari non vereatur; *Imperantur iſta omnibus*, inquit, etiam *Sacerdotibus & Monachis, non ſolum ſecularibus, id quod declarat cum dicit; Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto: etiamſi Apoſtolus ſis, etiamſi Euangeliſta, etiamſi Propheta, ſiue quicunque tandem fueris, neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.* Secutus eſt illum Theodoretus; *ſiue Sacerdos ſit aliquis, ſiue Antiſtes, ſiue monaſticam vitam ingreſſus, cedat quidem ijs quibus ſunt mandati Magiſtratus.* Ita quoque apud Oecumenium Photius; *Omnem animam inſtruit, ſiue Sacerdos ſit quiſpiam, ſiue Monachus, ſiue Apoſtolus, vt magiſtratibus ſubdantur.* Eodem modo Theophylactus, *Vniuerſos erudit, ſiue Sacerdos ſit ille, ſiue Monachus, ſiue Apoſtolus, vt ſe Principibus ſubdant.* Quæ omnia ita ſunt poſita, vt tela eſſe videantur de induſtria aduerſus Bellarmini defenſionem comparata, qui quia iſtis feriri ſibi iugulum ſentit, verba Chryſoſtomi molliter tangit, tanquam ſpinas ſibi tractandas putet, reliqua callidè declinat omnia, & prætermittit, tanquam nunquam ſibi viſa, nunquam audita ſint. Enimuerò certiſsimum eſt, ſi Sacerdotes, Euangeliſtæ, Apoſtoli, Epiſcopi numerandi ſint in animabus, quæ ſubiectæ eſſe iubeantur, in ſupereminentibus illis poteſtatibus numerari non poſſe, quibus ſubiectio ab omni animâ exhibenda eſt. Iſtam verò interpretationem confirmant Scripturarum exempla, confirmat veteris Eccleſiæ diſciplina, quia vtrinque videmus Pontifices, Prophetas, Epiſcopos, etiam Romanos, Regibus & Imperatoribus fuiſſe ſubiectos, & in eo non niſi debitam officii ſui perfunctionem recognouiſſe.

In Rom. hom. 23

IIII. Ac primò videre eſt in ijs, in quibus regnum cum ſacerdotio coniunctum eſt, maius fuiſſe regnum quàm ſacerdotium; maiores ſemper habitos fuiſſe, quâ Reges, quàm quâ Sacerdotes, Maiores, quâ populi ſui Iudices, *At Iudiciaria poteſtas conſequitur Regiam dignitatem.* Occurrit

Tho. Aquinas part. 3 q. 59. art. 4. ad-

currit Abrahæ Melchizedec Rex ſalem, proferens panem & vinum, & erat ſacerdos Dei excelſi. Gen. 14. Vbi ex ordine ipſo manifeſtatur, fuiſſe in Melchizedeco eminentius & prius, quod Rex fuerit, ſacerdotium verò ad Regnum tanquàm appendicem acceſsiſſe. Refert Hieronymus in lib. quæſtionum Hebraicarum, & in Epiſtolâ poſteriore ad Euagrium, & quidem ex traditione Hebræorum omnium à tempore Noe vſque ad Aaronem ſacerdotium ad ius primogenituræ pertinuiſſe, primogenitos ad quos dominatus ex lege diuinitus inſtituta pertinuit, fuiſſe conſequenter ſacerdotes, & hoc fuiſſe ius illud primogenituræ, quod Iacob ab Eſau fratre mercatus eſt. Hæc enim antiquitus recepta ſententia fuit, eos maximè qui ſummo loco eſſent in rebus humanis, ſummo Deo in ſacris operari debuiſſe: Melchizedecum ergo aiunt quod Noachi primogenitus eſſet, ideo fuiſſe ſacerdotem Dei altiſſimi. Quod ſi primogenitura ſacerdotium ſibi vindicet, ſuperior certè dominandi poteſtas, quæ de primogenitura propriè deſcendit quàm ſacerdotium, quod ex accidente adiunctum eſt, quia maius trahit ad ſe quod minus eſt; minus vero id quod maius eſt ſumere ſibi non poteſt. Ac quod in typo præceſsit Melchizedeco, idem quoque factũ eſt in antitypo Ieſu Chriſto; maior enim Chriſtus, quâ Rex, quàm quâ Sacerdos, quia maior in eo, in quo imperandi poteſtas eſt; imperandi vero poteſtas à regno eſt, non à ſacerdotio; & regnum exaltationis, & ſublimitatis res eſt, ſacerdotium humilitatis. Itaque magi Orientales cum illum requirunt, vt ei tribuant, quod honorificentiſsimum eſt, & maximum, *Vbi eſt*, inquiunt, *qui natus eſt Rex Iudæorum. Mat.* 2. & fortaſſè hoc eſt, quod vbi illum adorant, primò loco in *auro Regem, poſt in thure ſacerdotem*, tertio verò in *Myrrha incorruptibilem, quamuis paſſibilem, profitentur.* Quemadmodum Cyprianus ſermone *de Stellâ & Magis* myſterium illud interpretatus eſt. Cæterum in Moſe res erit adhuc luculentior, & apertior, qui vtrumque munus ad tempus complexus eſt, poſteà, Deo ita iubente, tranſlato in Aaronem ſacerdotio, Regias partes ſibi retinuit, in quibus obeundis Aaronem ſibi ha-

Math. 2.

bet obſequentem, & tanquam Domino ſuo ſupplicem, & quemadmodum ante acceptũ Pontificatum ait, *Ne accendatur ira Domini mei, Exod.32.* ita quoque poſt, *Numer. 12. Obſecro te Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum.* Videte hic Aaronem Pontificem principatum in ſe Moſis, & dominatum humillimè prædicantem. Satis hoc eſt ad cauſam vt nihil opus ſit dicere quomodò vbique à Moſe mandata recipiat, nulla vt ibi alia quàm Moſis authoritas clariſsimè reluceat. Excipiet verò Bellarminus, *Moſen fuiſſe Pontificem, & quidem ſummum, & Aarone maiorem, etſi extraordinarium,* ſic enim habet de *verbo Dei, lib.3.c.4.* proindè mirùm non eſſe, reuerentiam illam Moſi delatam eſſe ab Aarone. At reſponſio futilis & inepta eſt. Quanquàm enim Moſis extraordinariâ diſpenſatione ſacerdotalis officij, nondum finibus ſuis circumſcripti, munera quædam paucisſima ad tempus exercuit; tamen poſt conſtitutum in Aarone Sacerdotium, nunquàm ille ſacerdotij parte aliquâ vel leuiſsimâ functus eſt. Aaronem compellat, vt incenſum offerat, & propitiationem pro populo faciat. *Num. 16.* ipſe offerre non eſt auſus, nec iure potuit, quia cautum ante fuerat, quod ibidem legimus, *ne quiſquam qui non eſſet ex ſemine Aaron appropinquaret Domino ad incenſum ei offerendum, cui & ſemini eius certo fœdere ſacerdotium Deus addixerat, vt Exod. 40. Exod. 28. 1: 43. 1. Paralip. 23. 13.* aliiſque pluribus locis videre eſt. Porrò fuit Aaron loco ſuo *Pontifex, id eſt, Sacerdos maximus,* ſic enim habetur, *Leuit. 21. 10.* ἀρχιερεὺς vt dicitur paſsim ad Hebræos, *Summus Pontifex; Princeps ſacerdotum*; Atque verò Pontifice maximo Pontifex maior eſſe non potuit; non ſuperior quiſquam ſummo. Ergo aut non fuit ſacerdos Moſes poſt inſtitutum Aaronem, aut certè Aarone inferior fuit. At Aarone inferior non fuit, ſacerdos ergo omnino non fuit. Aaron verò ſummus ſacerdos ſubiectus Moſi principatum ciuilem obtinenti; Rex ergo etiam ſummo ſacerdote ſuperior, & ſummus ſacerdos Regi ſubiectus exiſtimandus eſt. Aliud exemplum in Abimelecho ſummo Pontifice videre eſt, qui vbi Saulum Regem compellat. 1. Sam. 22. *Præſto ſum Domine*

Exod. 32. 22. Num. 12. 11.

Toſtat. leuit 9. quæſt. 10.

1 Sam. 22. 12. 15.

Domine mi, ne ſuſpicetur aduerſus ſeruum ſuum rem huiuſmodi, non ſciuit ſeruus tuus quicquam ſuper hoc negotio. En hic iterum Regem Dominum Pontificis, & Pontificem ſeruum Regis. Nec alitèr cum Regibus Prophetæ, prout
1.Reg.1.23.24 26 27. Nathan propheta pro exemplo eſt. *1. Reg. 1. Cum introiſſet in conſpectum Regis, adorauit eum pronus in terram; Domine mi Rex, tu dixiſti, Adonias regnat, &c. Me ſeruũ tuum & Sadoc ſacerdotem, &c. Adonias non vocauit: Nunquid à Domino meo Rege exiuit hoc verbum & mihi non indicaſti ſeruo tuo quis ſeſſurus ſit ſuper thronum Domini mei Regis*
1.Reg.1.32. *poſt eum?* Ibi Rex, *vocate mihi Sadoc ſacerdotem, & Nathan*
44. *Prophetam:* Et miſit *Sadoc ſacerdotem, & Nathan prophetam; & dixit ad eos; Tollite vobiſcum ſeruos Domini veſtri,*
33. hoc eſt, Regios meos. Conclamatur vndiquaque ſupereminentia Regis; ille Dominus Prophetæ, Dominus ſacerdotis, illi contra ſerui Regis, vocat ille, mittit, imperat, neque quiſquam illorum non ad mandatum, & nutum eſt. Tanta denique poteſtas Regis in Pontificem, vt
1. Reg. 2. 26. mox Solomon Abiatharum Pontificem ſacerdotio abdicauerit, & ab altari ſubmouerit, & Sadocum in locum eius Pontificem futurum ſubſtituerit.

V Quo exemplo, ſpectrum Bellarmini Matthæus Tor-
Pag. 126. tus, quanquàm ſe tanquam pugione confoſſum perſenſit, ſubterfugium tamen excogitauit dignum ſe. *At Pontifex quoque,* inquit, *Reginam non ſolum exauthorauit: ſed etiam interfici iuſsit, & Regem alium ſubrogauit,* nempè 4. *Reg. 11.* Athaliam intelligit, quæ mortuo Rege maritò ſemen Regium vniuerſum, Ioa tantum puerulo diuinâ prouidentiâ conſeruato, deleuit, vt ipſa ſibi, nullo vel prætextu iuris vel diuini, vel humani regnum occuparet. Cæterũ vt Bellarmino vicem rependam, dicam Bernardum ſanctiſsimum virum diſertè de Romano Pontifice dixiſſe ſententiam, quòd Antichriſtus ſit; ſic enim habere illum *Epiſt. 125. Beſtia illa de Apocalypſi, cui datum eſt os loquens blaſphemias, & bellum gerere cum Sanctis, Petri ſedem occupat, tanquam leo paratus ad prædam.* Tumultuabitur hic Bellarminus, & me falſarium inclamabit, neque enim Bernardum ibi de vero Pontifice, ſed de Anacleto ſiue Petro de Lura ſchiſma-

ſchiſmatico & vſurpatore, qui Petri ſedem per vim arripuit, pronunciaſſe. Depoſitus ille, quomodò alij ſubinde multi per vſurpationem in ſedem Petri ſe ingerentes, quorum tamen exempla ſiquis attulerit pro depoſitione Pontificis aſſerendâ, nugas egerit Bellarmino. At Hypocrita, tibinè tam expeditum eſt in oculo meo diſcernere feſtucam, qui in tuo trabem non ſentis? Certè haud magis Athalia, Regina, immò multò minùs quàm illi Pōtifices, vt ſi non ibi depoſiti Pontifices, neq; hic Regina depoſita dici poſsit; quippe quæ nullo iure ſuffulta, mero latrocinio regnum inuaſerat, vero interim Rege per metum in tenebris latitante, quæ parricidio, & proditione ream ſe mortis ex lege fecerat, & iuſtiſsimè perire debuit: vt non hic exauctorata Regina, quæ nulla fuit, ſed ſumpta de immani latrone vindicta, & ſubditorum in Regem ſuum fides liberata dicenda ſit. Nec vero Iehoida quicquam ibi fecit authoritate, ſed fide, nec poteſtate Pontificiæ Iuriſdictionis, ſed boni viri bonique ciuis officio perfunctus eſt, qui filium Regis, in domo Domini reclusum, & ſex iam annos abditum, Centurionibus primò, & præfectis militiæ ſiſtit; poſt in cœtum publicum adducit, enunciato non ſuo aliquo, ſed Dei decreto; *Oportere vt filius Regis regnet ſecundum quod locutus eſt Dominus ſuper filios Dauid.* Iam verò Bellarminus quià hic ſe haud ſatis tutum arbitratus eſt, & veritus quod in prouerbio dicitur, *Mus miſer eſt antro qui ſolum clauditur vno*, aliud ſibi atque aliud latibulum parat. Addit ergo ſecundo loco, *Aliud eſt facta Regum referre, aliud authoritatem poteſtatemq; probare*, eo intelligi volens Abiatharum a Solomone *de facto* abdicatum, ſed ex eo *ius facti* non conſtare. Ita nequiſsimus impoſtor nè quoquo modo cedat manifeſtiſſimæ veritati, Solomonem accuſàt vſurpationis, & iniuriæ; Sadocum Pontificem, quem ſe Deus *ſacerdotum fidelem* excitaturum promiſit, qui inquit *quemadmodum eſt in corde meo, & in animo meo faciet.* 1. *Sam.* 2. 35. intruſorem facit, & malæ fidei poſſeſſorem; Nathanem Prophetam, qui temerarium Regis auſum non redarguit, impij ſilentij reum peragit; Abiatharum ipſum taxat tan-

2. Chron. 23. 3

1. Sam. 2. 35.

quam iuris ſui proditorem, qui cauſam non agit, qui exceptionem fori non interpoſuit, qui non mouet, ſummum Pontificem à nemine iudicari poſſe, tribunali Regio non ſubiacere, non eſſe qui ei dicat, Domine, cur ita facis. Al-
ap.2. v. 26. loquitur illum Solomon; *Vir mortis es tu, ſed non interficiam te hodiè*, non quia non licuit; licuit certè proditorem qualis erat Abiatharus *occidere*, vtrunque repugnante Bellarmino, qui ſemper proditorum patronus eſt, non inquam, quià non licuit, ſed quia, inquit, *Portaſti arcam Domini Dei coram Dauid patre meo, & afflictus es in omnibus in quibus afflictus eſt pater meus*. Quid enim? an defecit hic Solomoni ſapientia illa, quam prædicat Dauid pater ipſius cum de Ioabo & Shimeio mandata dat? *Tu facis*
cap.2. ver.6. 9. *illi ſecundum ſapientiam tuam; Tu vir ſapiens es, & noſti quæ te in illum facere oporteat*. An verò nouit quid faciendum, & tamē præuaricatus eſt, & tum quidem cum illum ſcrip-
cap. 6. ver. 3. tura teſtatur *dilexiſſe Dominum, & ambulaſſe in ſtatutis ſiue praceptis Dauid patris ſui?* Apagete verò Bellarminum, qui iſtorum nobis portentorum author eſt. Sed neque hic acquieſcit, vt certè nuſquam ſibi perfidia ſatis tuta eſt; quare tertiò reſpondet; *factum illud tribui ſolere Solomoni, non vt Regi, ſed vt prophetæ, extraordinariam poteſtatem diuinitus obtinenti*. Id verò qui conſtat? Quam tandem aſſertionis ſuæ fidem facit? An ideò credendum eſt, quià Bellarmino ſic viſum eſt? Certè quâ authoritate Adoniam, quâ Ioabum, quâ Schimeium morte multauit, non propheticâ, ſpero, ſed Regiâ, eâdem eodem tempore Abiatharum de ſacerdotio depoſuiſſe credendus eſt. Etſi verò detur inſtinctu hoc feciſſe Prophetico, certè authoritate nonniſi Regiâ facere potuit, quia Prophetis denunciandi tantum officium competit, poteſtas exequendi non Prophetarum ſed Regum eſt. Quare apertè ibi legitur, *Rex dixit Abiatharo*, vt nullus hinc tergiuerſationi locus ſit. Quid autem? an maior Solomon, quâ Propheta, quàm quâ Rex? Certè ſi Propheta maior Rege, maior Nathan Propheta Rege Solomone, ſaltem æqualis Nathan Propheta Prophetæ Solomoni. Atqui Nathan Propheta Regem Solomonem Dominum ſuum agno-
ſcit,

ſcit, vt ante vidimus; ſe illi ſeruum facit, quod certè par pari, vel maior minori nunquàm deferendũ putet. Quod ſi maior in Solomone poteſtas Regia, quam Prophetica, non Propheticâ ſed Regiâ poteſtate in Abiatharum animaduertiſſe dicendum eſt. Denique cauſa ipſa, quâ arceſſebatur, non Eccleſiaſtica, non doctrinæ, ſed politica, & Regni cauſa fuit; quippe quòd proditoriè cum Adonia coniuraſſet; vt nomine Prophetæ nihil illi negotij cum Abiatharo, tantummodò iure regio agendum eſſet. Quare futilis & inepta eſt reſponſio illa, & manet hoc exemplo firmata Regum poteſtas in Pontifices, & Sacerdotes, vt ab illis etiam ſacerdotio abdicari poſsint.

Reſponſio verò eius ad Chryſoſtomi expoſitionem diligenter animaduertenda eſt. Poſtquam enim agnoſcit ſenſum loci eſſe, *Legitimis ſuperioribus obedientiam deberi*, ita ſubiungit; *Quare non poteſt, ex his teſtimonijs Apoſtolicis, probari Clericos principibus ſeculi, vel eorum legibus obtemperare debere, niſi prius probetur, Reges ſeculi eſſe legitimos ſuperiores, & Iudices Clericorum, quod certè probari non poterit, niſi probetur oues paſtoribus, filios parentibus, & temporalia ſpiritualibus præeminere.* Quo de Argumento Hildebrandino poſtea dicemus ſuo loco; interim addit Bellarminus; *Nec tamen Chryſoſtomo contradicimus: quamuis enim Iudicem proprium Clericorum, & Monachorum ſolum Pontificem eſſe dicamus, tamen fatemur Reges non ſolum laicorum, ſed etiam Clericorum & Monachorum eſſe Reges:* Videte verò hic quàm turpiter ludat: Iam enim ante dixerat, *probari non poſſe, Reges ſeculi legitimos Superiores eſſe Clericorum*, & capite 28 *Reges reſpectu Clericorum non eſſe ſuperiores poteſtates*. Itaque Reges iam Clericorum Reges ſunt, ſed non ſuperiores poteſtates reſpectu Clericorum. Hoccinè verò eſt reſpondere Chryſoſtomo? *Omnis anima*, inquit ille, *poteſtatibus, &c.* ſiue *Apoſtolus*, ſiue *Propheta* &c. & tu tamen Reges illos, de quibus loquitur, negas eſſe ſuperiores poteſtates? Quæ hic tua tandẽ vertigo eſt? Meminiſſe verò debetis quod antè ex Chryſoſtomo dictum eſt, *Regem eſſe caput omnium in terra hominum*, & ex Agapeto Antonio Maximo *nihil in terris eſſe excelſius*

De Cleric. cap. 30.

Regi:

nima pro toto homine vſurpatur. Certè quia carne immerſa eſt anima noſtra, & ad carnalis vitæ cupiditates per ſe prorſus abiecta: vnde Origenis illud, *Animas noſtras incarnauimus & incraſſauimus*, meritò interdum totus homo carnis vocabulo dehonoratur, & vtiliter admonemur quantâ calamitate noſtrâ contigerit, vt mens ipſa, ſcintilla lucis æternæ, in qua ſimulachrum quoddam, & Imago diuinitatis impreſſa eſt, ad fœdiſsimas voluptates, & libidines incuruata, brutorum propè ſordes cum ſummo naturæ ſuæ dedecore referre videatur. Et tamen nè animæ ſuæ immemor remittat prorſus induſtriam, qua reſurgere ad naturæ ſuæ dignitatem, & priſtinos honores reſarcire moliatur, totum hominem animæ nuncupatione condecorat; & nomine à præſtantiori parte deſumpto monet ne in ſordibus, & luto ſuo hæreat, neue, quam de cœlo factam meminerit, eam cœno, & ſtercori mancipatam, æterniſque incendijs addictam interire patiatur.

Orig. in Pſal. 38. hom. 2.

II Sed eſt, opinor, aliquid quod hic porrò in animæ vocabulo animaduertendum ſit, quo requirere videtur Apoſtolus, vt non corporis tantum obſequium, ſed animæ quoque voluntatem, & affectum Principibus accommodemus, ne mutila ſit & ſimulata obedientia, quæ non de corde profecta ſit: Haud minus quippe Principibus quam Dominis attribuendum eſſe vult; ſeruis autem in Dominos ita præcipit, nè ἐν ὀφθαλμοδουλείαις, ſiue κατ' ὀφθαλμοδουλείαν obediant, ſed *quodcunque* inquit, *facitis* ἐκ ψυχῆς ἐργάζεσθε, tanquam *Domino & non hominibus*. Atque ita *Tho. Aquinas*; *vtitur hoc modo loquendi, quia ſubiectionem debemus ſuperioribus ex animo, id eſt, ex purâ voluntate*. Neque enim probauit Apoſtolus Romana, quæ nunc geruntur, obſequia, quæ vultu tantùm, & manu conſiſtunt, animo interim dira conſilia meditante, & cum Iuda ad omnem proditionis opportunitatem inuigilante; tale illud, quod Pontifex Gregorius 13. Parſono & Campiano petentibus, indulſit catacatholicis ſuis, nè teneret eos, *rebus ſic ſtantibus* (nempe vt ſceleratas iras ſuas in Reginam vlciſci non poſſent) interdictum Pij Quinti, quominus ei liberè obtemperarent,

Col. 3.

temperarent, *quouſque bullæ executio fieri poſſet*, interim vt in omnem perdendæ Reginæ occaſionem intenti ſint ; Eandem perfidiam, & hypocriſin aluit immiſsis huc Agnis Dei, qui vocantur, cum addita emblematis inſcriptione, *Fili, da mihi cor tuum, & ſufficit*, quo permiſſum illis eſſe voluit, vt ad tempus, prout vſus foret, in omnes vultus ſe componerent, ſeruato interim ipſi corde, quod ſemper ad rebellionem, illo iubente, præſtò eſſet ; & talem quidem obſeruantiam Bellarminus Gregorij magni fuiſſe affirmat, qua Mauritium Imperatorem coluiſſe viſus eſt, fictam prorſus & ſimulatam, nec religione præſtitam, ſed metu coactam & expreſſam, nihil iam vt miremur, quòd ſuis perfidioſos iſtos mores apud vos exercendos indulgeant, quos tanto viro, Ieſuita tribuere haud veritus eſt ; qua tamen in re quantam ſanctiſsimo viro iniuriam faciat, & mentito crimine alieno, verum perfidiæ ſuæ crimen improbè tegat, poſtea, Deo volente, manifeſtum fiet.

Interim vt ad propoſitum negotium reuertamur, quacunque demum ratione Apoſtolus animæ nuncupatione hominem deſignandum arbitratus ſit, luculentum hoc, & manifeſtum eſt homines vniuerſim omnes, & ſigillatim ſingulos præceptione iſtâ apoſtolicâ ad ſubiectionis officium & præſtandæ Regibus obſeruantiæ conſcientiam obligari. Hic vero Bellarminus, vt eſt præſtigiator, & mirus illuſionum artifex, quod extendendo fecit in *ſupereminentium poteſtatum* expoſitione, hoc idem facit, hic, in omni anima, curtando, & minuendo. Quanquam enim efficere non potuit, quod maximè voluiſſe non dubito, vt Clerici omnes in poteſtatibus ſupereminentibus accenſendi ſint, fecit tamen quantum penes ſe erat, ne Clericus quiſquam in *omni anima* numeretur, quæ ſubiectionem Regibus præſtare teneatur. Ergo in quæſtione de *exemptione Clericorum, lib. de Cler. cap.* 28. proponit ſibi obiectam ſententiam hanc, *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto.* Reſpondet ille *quamuis iure diuino ſit omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta, quia tamen Clericos partim ipſi principes ſubiecerunt in omni-* III De Cler. c. 28. poſter. edit.

bus

bus cauſis Epiſcopis ſuis, & poſtremò ſummus Pontifex Clericos omnes exemit à ſubiectione Principum ſecularium, ſequitur vt reſpectu Clericorum non ſint Principes ſuperiores poteſtates, ac proinde non teneantur Clerici Principibus parere, neque iure humano neque diuino. Videte verò hic neruum ipſum regni Antichriſti; videte ex profeſſo ius diuinum iure Pontificio profligatum. Quamuis iure diuino omnis anima Principibus ſubeſſe teneatur iure tamen Pontificio cautum eſt, nè Clerici ſubijciantur. Quod enim ait, Principes ſubieciſſe Clericos Epiſcopis ſuis, in eo mirum eſt improbus furcifer quàm indigniſsimè bonitatem Principum, & pietatem ad ſuam ipſorum iniuriam redundare faciat. Dederunt quidem Principes Epiſcopis, honoris cauſâ, vt Clericorum ſuorum cauſas audirent, & ad reuerentiam miniſtris ſacrorum in plebe conciliandam conceſſum eſt, ne ad communia iudiciorum ſubſellia comparere cogerentur. Ac de hoc Epiſcoporum Priuilegio, Leo Romanus Epiſcopus tempore ſuo commeminit; *Imperatores eius diſtringendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis, iuxta diualia conſtituta permiſerunt.* Quid autem? an quia Iudices à Rege conſtituuntur qui Laicorum cauſas cognoſcant, & dijudicent, ideò ille principatu ſe abdicat, vt deinde ius, & poteſtatem de illorum negotijs cognoſcendi vel illis imperandi nullam habere cenſendus ſit? Quo pacto fiet, vt quia Principes Clericos Epiſcopis ſuis in hoc caſu ſubijciunt, qui & ipſi ſubiecti ſunt, ideò iure ſuo dimittant, vel Clericos, vel Epiſcopos nè ampliùs illi ſubditi, neue ipſi illis poteſtates ſupereminentes ſiue Reges ſint? Enimuero immunitates multas & priuilegia Clericis, & Epiſcopis ſingulari Principum benignitate indulta eſſe cognouimus; qui verò vel Clericos vel Epiſcopos iure ſuo, & poteſtate immunes eſſe iuberet nè in ſubditorum numero haberentur, nemo Rex vnquam auditus eſt. Totum ergo hoc à Pontificis arbitrio dependet, qui factus ipſe Domino ſuo perduellis, & proditor, Lucifero ſimilis, ne ſolus ſit, legiones ſuas ſibi conſortes habere deſiderat, & Sacerdotum exercitum eiuſdem ſecum perfidiæ ſocietate confœderat. Longè ve-

Leo epiſt.94.

ro hic ab inſtituto veteris Eccleſiæ diſceſſum eſt, cui de hac exemptione Clericorum nihil vnquam in mentem venit: Certe Chryſoſtomus ab hoc ſenſu ita longe abfuit, *vt omnem animam* de Principibus ipſis Clericorum, ſi ita loqui liceat, interpretari non vereatur; *Imperantur iſta omnibus*, inquit, etiam *Sacerdotibus & Monachis, non ſolum ſecularibus, id quod declarat cum dicit; Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto: etiamſi Apoſtolus ſis, etiamſi Euangeliſta, etiamſi Propheta, ſiue quicunque tandem fueris, neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.* Secutus eſt illum Theodoretus; *ſiue Sacerdos ſit aliquis, ſiue Antiſtes, ſiue monaſticam vitam ingreſſus, cedat quidem ijs quibus ſunt mandati Magiſtratus.* Ita quoque apud Oecumenium Photius; *Omnem animam inſtruit, ſiue Sacerdos ſit quiſpiam, ſiue Monachus, ſiue Apoſtolus, vt magiſtratibus ſubdantur.* Eodem modo Theophylactus, *Vniuerſos erudit, ſiue Sacerdos ſit ille, ſiue Monachus, ſiue Apoſtolus, vt ſe Principibus ſubdant.* Quæ omnia ita ſunt poſita, vt tela eſſe videantur de induſtria aduerſus Bellarmini defenſionem comparata, qui quia iſtis feriri ſibi iugulum ſentit, verba Chryſoſtomi molliter tangit, tanquam ſpinas ſibi tractandas putet, reliqua callidè declinat omnia, & prætermittit, tanquam nunquam ſibi viſa, nunquam audita ſint. Enimuerò certiſsimum eſt, ſi Sacerdotes, Euangeliſtæ, Apoſtoli, Epiſcopi numerandi ſint in animabus, quæ ſubiectæ eſſe iubeantur, in ſupereminentibus illis poteſtatibus numerari non poſſe, quibus ſubiectio ab omni animâ exhibenda eſt. Iſtam verò interpretationem confirmant Scripturarum exempla, confirmat veteris Eccleſiæ diſciplina, quia vtrinque videmus Pontifices, Prophetas, Epiſcopos, etiam Romanos, Regibus & Imperatoribus fuiſſe ſubiectos, & in eo non niſi debitam officii ſui perfunctionem recognouiſſe.

In Rom. Hom. 23.

Ac primò videre eſt in ijs, in quibus regnum cum ſacerdotio coniunctum eſt, maius fuiſſe regnum quàm ſacerdotium; maiores ſemper habitos fuiſſe, quâ Reges, quàm quâ Sacerdotes, Maiores, quâ populi ſui Iudices, *At Iudiciaria poteſtas conſequitur Regiam dignitatem.* Occurrit IIII.

Tho. Aquinas part. 3 q. 59 art. 4. ad. 1.

currit Abrahæ Melchizedec Rex ſalem, proferens panem & vinum, & erat ſacerdos Dei excelſi. Gen. 14. Vbi ex ordine ipſo manifeſtatur, fuiſſe in Melchizedeco eminentius & prius, quod Rex fuerit, ſacerdotium verò ad Regnum tanquàm appendicem acceſsiſſe. Refert Hieronymus in lib. quæſtionum Hebraicarum, & in Epiſtolâ poſteriore ad Euagrium, & quidem ex traditione Hebræorum omnium à tempore Noe vſque ad Aaronem ſacerdotium ad ius primogenituræ pertinuiſſe, primogenitos ad quos dominatus ex lege diuinitus inſtituta pertinuit, fuiſſe conſequenter ſacerdotes, & hoc fuiſſe ius illud primogenituræ, quod Iacob ab Eſau fratre mercatus eſt. Hæc enim antiquitus recepta ſententia fuit, eos maximè qui ſummo loco eſſent in rebus humanis, ſummo Deo in ſacris operari debuiſſe: Melchizedecum ergo aiunt quod Noachi primogenitus eſſet, ideo fuiſſe ſacerdotem Dei altiſſimi. Quod ſi primogenitura ſacerdotium ſibi vindicet, ſuperior certè dominandi poteſtas, quæ de primogenitura propriè deſcendit quàm ſacerdotium, quod ex accidente adiunctum eſt, quia maius trahit ad ſe quod minus eſt; minus vero id quod maius eſt ſumere ſibi non poteſt. Ac quod in typo præceſsit Melchizedeco, idem quoque factũ eſt in antitypo Ieſu Chriſto; maior enim Chriſtus, quâ Rex, quàm quâ Sacerdos, quia maior in eo, in quo imperandi poteſtas eſt; imperandi vero poteſtas à regno eſt, non à ſacerdotio; & regnum exaltationis, & ſublimitatis res eſt, ſacerdotium humilitatis. Itaque magi Orientales cum illum requirunt, vt ei tribuant, quod honorificentiſsimum eſt, & maximum, *Vbi eſt*, inquiunt, *qui natus eſt Rex Iudæorum. Mat.* 2. & fortaſſè hoc eſt, quod vbi illum adorant, primo loco in *auro Regem, poſt in thure ſacerdotem*, tertio verò in *Myrrha incorruptibilem, quamuis paſſibilem, profitentur.* Quemadmodum Cyprianus ſermone *de Stellâ & Magis* myſterium illud interpretatus eſt. Cæterum in Moſe res erit adhuc luculentior, & apertior, qui vtrumque munus ad tempus complexus eſt, poſteà, Deo ita iubente, tranſlato in Aaronem ſacerdotio, Regias partes ſibi retinuit, in quibus obeundis Aaronem ſibi habet

Math. 2.

bet obſequentem, & tanquam Domino ſuo ſupplicem, & quemadmodum ante acceptũ Pontificatum ait, *Ne accendatur ira Domini mei, Exod.32.* ita quoque poſt, *Numer. 12. Obſecro te Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum.* Videte hic Aaronem Pontificem principatum in ſe Moſis, & dominatum humillimè prædicantem. Satis hoc eſt ad cauſam vt nihil opus ſit dicere quomodò vbique à Moſe mandata recipiat, nulla vt ibi alia quàm Moſis authoritas clariſsimè reluceat. Excipiet verò Bellarminus, *Moſen fuiſſe Pontificem, & quidem ſummum, & Aarone maiorem, etſi extraordinarium*, ſic enim habet de *verbo Dei, lib.3.c.4.* proindè mirùm non eſſe, reuerentiam illam Moſi delatam eſſe ab Aarone. At reſponſio futilis & inepta eſt. Quanquàm enim Moſis extraordinariâ diſpenſatione ſacerdotalis officij, nondum finibus ſuis circumſcripti, munera quædam pauciſsima ad tempus exercuit; tamen poſt conſtitutum in Aarone Sacerdotium, nunquàm ille ſacerdotij parte aliquâ vel leuiſsimâ functus eſt. Aaronem compellat, vt incenſum offerat, & propitiationem pro populo faciat. *Num. 16.* ipſe offerre non eſt auſus, nec iure potuit, quia cautum ante fuerat, quod ibidem legimus, *ne quiſquam qui non eſſet ex ſemine Aaron appropinquaret Domino ad incenſum ei offerendum, cui & ſemini eius certo fœdere ſacerdotium Deus addixerat, vt Exod. 40. Exod. 28. 1; 43. 1. Paralip. 23. 13.* aliiſque pluribus locis videre eſt. Porrò fuit Aaron loco ſuo *Pontifex, id eſt, Sacerdos maximus*, ſic enim habetur, *Leuit. 21. 10.* ἀρχιερεὺς vt dicitur paſsim ad Hebræos, *Summus Pontifex*; *Princeps ſacerdotum*; Atque verò Pontifice maximo Pontifex maior eſſe non potuit; non ſuperior quiſquam ſummo. Ergo aut non fuit ſacerdos Moſes poſt inſtitutum Aaronem, aut certè Aarone inferior fuit. At Aarone inferior non fuit, ſacerdos ergo omnino non fuit. Aaron verò ſummus ſacerdos ſubiectus Moſi principatum ciuilem obtinenti; Rex ergo etiam ſummo ſacerdote ſuperior, & ſummus ſacerdos Regi ſubiectus exiſtimandus eſt. Aliud exemplum in Abimelecho ſummo Pontifice videre eſt, qui vbi Saulum Regem compellat. 1. Sam. 22. *Præſto ſum Domine*

Exod. 32. 22. Num. 12. 11.

Toſtat. leuit 9. quæſt. 10.

1 Sam. 22. 12. 15.

Domine mi, ne ſuſpicetur aduerſus ſeruum ſuum rem huiuſmodi, non ſciuit ſeruus tuus quicquam ſuper hoc negotio. En hic iterum Regem Dominum Pontificis, & Pontificem ſeruum Regis. Nec alitèr cum Regibus Prophetæ, prout
1. Reg. 1. 23. 24 26 27. Nathan propheta pro exemplo eſt. *1. Reg. 1. Cum introiſſet in conſpectum Regis, adorauit eum pronus in terram; Domine mi Rex, tu dixiſti, Adonias regnat, &c. Me ſeruū tuum & Sadoc ſacerdotem, &c. Adonias non vocauit: Nunquid à Domino meo Rege exiuit hoc verbum & mihi non indicaſti ſeruo tuo quis ſeſſurus ſit ſuper thronum Domini mei Regis*
1. Reg. 1. 32. *poſt eum?* Ibi Rex, *vocate mihi Sadoc ſacerdotem, & Nathan*
44. *Prophetam:* Et miſit *Sadoc ſacerdotem, & Nathan prophetam; & dixit ad eos; Tollite vobiſcum ſeruos Domini veſtri,*
33. hoc eſt, Regios meos. Conclamatur vndiquaque ſupereminentia Regis; ille Dominus Prophetæ, Dominus ſacerdotis, illi contra ſerui Regis, vocat ille, mittit, imperat, neque quiſquam illorum non ad mandatum, & nutum eſt. Tanta denique poteſtas Regis in Pontificem, vt
1. Reg. 2. 26. mox Solomon Abiatharum Pontificem ſacerdotio abdicauerit, & ab altari ſubmouerit, & Sadocum in locum eius Pontificem futurum ſubſtituerit.

V Quo exemplo, ſpectrum Bellarmini Matthæus Tor-
Pag. 126. tus, quanquàm ſe tanquam pugione confoſſum perſenſit, ſubterfugium tamen excogitauit dignum ſe. *At Pontifex quoque,* inquit, *Reginam non ſolum exauthorauit: ſed etiam interfici iuſſit, & Regem alium ſubrogauit,* nempè 4. *Reg. 11.* Athaliam intelligit, quæ mortuo Rege maritò ſemen Regium vniuerſum, Ioa tantum puerulo diuinâ prouidentiâ conſeruato, deleuit, vt ipſa ſibi, nullo vel prætextu iuris vel diuini, vel humani regnum occuparet. Cæterū vt Bellarmino vicem rependam, dicam Bernardum ſanctiſsimum virum diſertè de Romano Pontifice dixiſſe ſententiam, quòd Antichriſtus ſit; ſic enim habere illum *Epiſt. 125. Beſtia illa de Apocalypſi, cui datum eſt os loquens blaſphemias, & bellum gerere cum Sanctis, Petri ſedem occupat, tanquam leo paratus ad prædam.* Tumultuabitur hic Bellarminos, & me falſarium inclamabit, neque enim Bernardum ibi de vero Pontifice, ſed de Anacleto ſiue Petro de Lura

ſchiſma-

ſchiſmatico & vſurpatore, qui Petri ſedem per vim arripuit, pronunciaſſe. Depoſitus ille, quomodò alij ſubinde multi per vſurpationem in ſedem Petri ſe ingerentes, quorum tamen exempla ſiquis attulerit pro depoſitione Pontificis aſſerendâ, nugas egerit Bellarmino. At Hypocrita, tibinè tam expeditum eſt in oculo meo diſcernere feſtucam, qui in tuo trabem non ſentis? Certè haud magis Athalia, Regina, immò multò minùs quàm illi Pōtifices, vt ſi non ibi depoſiti Pontifices, neq; hic Regina depoſita dici poſsit; quippe quæ nullo iure ſuffulta, mero latrocinio regnum inuaſerat, vero interim Rege per metum in tenebris latitante, quæ parricidio, & proditione ream ſe mortis ex lege fecerat, & iuſtiſsimè perire debuit: vt non hic exauctorata Regina, quæ nulla fuit, ſed ſumpta de immani latrone vindicta, & ſubditorum in Regem ſuum fides liberata dicenda ſit. Nec vero Iehoida quicquam ibi fecit authoritate, ſed fide, nec poteſtate Pontificiæ Iuriſdictionis, ſed boni viri bonique ciuis officio perfunctus eſt, qui filium Regis, in domo Domini recluſum, & ſex iam annos abditum, Centurionibus primò, & præfectis militiæ ſiſtit; poſt in cœtum publicum adducit, enunciato non ſuo aliquo, ſed Dei decreto; *Oportere vt filius Regis regnet ſecundum quod locutus eſt Dominus ſuper filios David.* 2. Chron. 23. 3 Iam verò Bellarminus quià hic ſe haud ſatis tutum arbitratus eſt, & veritus quod in prouerbio dicitur, *Mus miſer eſt antro qui ſolum clauditur vno*, aliud ſibi atque aliud latibulum parat. Addit ergo ſecundo loco, *Aliud eſt facta Regum referre, aliud authoritatem poteſtatemq́; probare*, eo intelligi volens Abiatharum a Solomone *de facto* abdicatum, ſed ex eo *ius facti* non conſtare. Ita nequiſsimus impoſtor nè quoquo modo cedat manifeſtiſſimæ veritati, Solomonem accuſat vſurpationis, & iniuriæ; Sadocum Pontificem, quem ſe Deus *ſacerdotum fidelem* excitaturum promiſit, qui inquit *quemadmodum eſt in corde meo, & in animo meo faciet.* 1. *Sam.* 2. 35. intru- 1. Sam. 2. 35. ſorem facit, & malæ fidei poſſeſſorem; Nathanem Prophetam, qui temerarium Regis auſum non redarguit, impij ſilentij reum peragit; Abiatharum ipſum taxat tan-

quam iuris ſui proditorem, qui cauſam non agit, qui exceptionem fori non interpoſuit, qui non mouet, ſummum Pontificem à nemine iudicari poſſe, tribunali Regio non ſubiacere, non eſſe qui ei dicat, Domine, cur ita facis. Alloquitur illum Solomon; *Vir mortis es tu, ſed non interficiam te hodiè*, non quia non licuit; licuit certè proditorem qualis erat Abiatharus *occidere*, vtrunque repugnante Bellarmino, qui ſemper proditorum patronus eſt, non inquam, quià non licuit, ſed quia, inquit, *Portaſti arcam Domini Dei coram Dauid patre meo, & afflictus es in omnibus in quibus afflictus eſt pater meus.* Quid enim? an defecit hic Solomoni ſapientia illa, quam prædicat Dauid pater ipſius cum de Ioabo & Shimeio mandata dat? *Tu facis illi ſecundum ſapientiam tuam; Tu vir ſapiens es, & noſti quæ te in illum facere oporteat.* An verò nouit quid faciendum, & tamē præuaricatus eſt, & tum quidem cum illum ſcriptura teſtatur *dilexiſſe Dominum, & ambulaſſe in ſtatutis ſiue præceptis Dauid patris ſui?* Apagete verò Bellarminum, qui iſtorum nobis portentorum author eſt. Sed neque hic acquieſcit, vt certè nuſquam ſibi perfidia ſatis tuta eſt; quare tertiò reſpondet; *factum illud tribui ſolere Solomoni, non vt Regi, ſed vt prophetæ, extraordinariam poteſtatem diuinitus obtinenti.* Id verò qui conſtat? Quam tandem aſſertionis ſuæ fidem facit? An ideò credendum eſt, quià Bellarmino ſic viſum eſt? Certè quâ authoritate Adoniam, quâ Ioabum, quâ Schimeium morte multauit, non propheticâ, ſpero, ſed Regiâ, eâdem eodem tempore Abiatharum de ſacerdotio depoſuiſſe credendus eſt. Etſi verò detur inſtinctu hoc feciſſe Prophetico, certè authoritate nonniſi Regiâ facere potuit, quia Prophetis denunciandi tantum officium competit, poteſtas exequendi non Prophetarum ſed Regum eſt. Quare apertè ibi legitur, *Rex dixit Abiatharo*, vt nullus hinc tergiuerſationi locus ſit. Quid autem? an maior Solomon, quâ Propheta, quàm quâ Rex? Certè ſi Propheta maior Rege, maior Nathan Propheta Rege Solomone, ſaltem æqualis Nathan Propheta Prophetæ Solomoni. Atqui Nathan Propheta Regem Solomonem Dominum ſuum agnoſcit,

cap. 2. v. 26. cap. 2. ver. 6. 9. cap. 6. ver. 3.

ſcit, vt ante vidimus; ſe illi ſeruum facit, quod certè par pari, vel maior minori nunquàm deferendũ putet. Quod ſi maior in Solomone poteſtas Regia, quam Prophetica, non Propheticâ ſed Regiâ poteſtate in Abiatharum animaduertiſſe dicendum eſt. Denique cauſa ipſa, quâ arceſſebatur, non Eccleſiaſtica, non doctrinæ, ſed politica, & Regni cauſa fuit; quippe quòd proditoriè cum Adonia coniuraſſet; vt nomine Prophetæ nihil illi negotij cum Abiatharo, tantummodò iure regio agendum eſſet. Quare futilis & inepta eſt reſponſio illa, & manet hoc exemplo firmata Regum poteſtas in Pontifices, & Sacerdotes, vt ab illis etiam ſacerdotio abdicari poſsint.

Reſponſio verò eius ad Chryſoſtomi expoſitionem diligenter animaduertenda eſt. Poſtquam enim agnoſcit ſenſum loci eſſe, *Legitimis ſuperioribus obedientiam deberi*, ita ſubiungit; *Quare non poteſt, ex his teſtimonÿs Apoſtolicis, probari Clericos principibus ſeculi, vel eorum legibus obtemperare debere, niſi prius probetur, Reges ſeculi eſſe legitimos ſuperiores, & Iudices Clericorum, quod certè probari non poterit, niſi probetur oues paſtoribus, filios parentibus, & temporalia ſpiritualibus præeminere.* Quo de Argumento Hildebrandino poſtea dicemus ſuo loco; interim addit Bellarminus; *Nec tamen Chryſoſtomo contradicimus: quamuis enim Iudicem proprium Clericorum, & Monachorum Solum Pontificem eſſe dicamus, tamen fatemur Reges non ſolum laicorum, ſed etiam Clericorum & Monachorum eſſe Reges:* Videte verò hic quàm turpiter ludat: Iam enim ante dixerat, *probari non poſſe, Reges ſeculi legitimos Superiores eſſe Clericorum*, & capite 28 *Reges reſpectu Clericorum non eſſe ſuperiores poteſtates.* Itaque Reges iam Clericorum Reges ſunt, ſed non ſuperiores poteſtates reſpectu Clericorum. Hoccinè verò eſt reſpondere Chryſoſtomo? *Omnis anima*, inquit ille, *poteſtatibus, &c.* ſiue *Apoſtolus*, ſiue *Propheta* &c. & tu tamen Reges illos, de quibus loquitur, negas eſſe ſuperiores poteſtates? Quæ hic tua tandẽ vertigo eſt? Meminiſſe verò debetis quod antè ex Chryſoſtomo dictum eſt, *Regem eſſe caput omnium in terra hominum*, & ex Agapeto Antonio Maximo *nihil in terris eſſe excelſius*

De Cleric. cap. 30.

Regē: ex quo ſequitur ſtultam exceptionem exploden-dam eſſe, Reges, reſpectu Clericorum non eſſe ſuperiores poteſtates. Et certè Regès, illorum Reges ſunt qui ab *illis regnantur*, vt Irenæus ſupra locutus eſt. Clericorum ergo Reges eſſe non poſſunt quos ſupra Clericos regnare non ſinunt, niſi fortè poſſeſsiuè quomodo Imperatorem aliquando *Papæ hominem* dixerunt; ſic enim fortè Clericorum Reges quod à Clericis teneantur, & illorum poteſtati obnoxij eſſe iubeantur, quo ſenſu fortaſſè Bellarminus ait; *Oramus pro Regē vel Imperatorē noſtro*, cui ſcilicet nudum nomen attribuit, rem nominis, & rationem deſtruit prorſus; quia verò Clericorum Reges ſunt, nec illis tamen Clerici ſe ſubmittunt, iuſtiſsima in illos erit Regis illius in proditores ſuos ſententia, *Luc.* 19. *Inimicos illos meos, &c. At honor*, inquit, *eis debetur & debet vir honorem vxori ſuæ.* 1. *Pet.* 3. & *anima carni*, 1. *Cor.* 12. *Col.* 2. Quid in honoris nudo vocabulo iterum ludunt, qui honorem Regibus debitum indigniſsimâ perfidiâ ſuſtulerunt? *At debetur eis etiam obedientia.* Itanè vero? Eia vero Bellarmine, eloquere animum: iam ad ſummam rei peruentum eſt. *Debetur eis obedientia, cum eorum leges non ſunt contrariæ ſacris canonibus, & cum de ijſdem rebus nulla extet Canonica diſpoſitio, ac demùm quoad directionem, non quoad coactionem.* At quî id? quando capite ſuperiore 28. Decretum eſt? Reges non eſſe ſuperiores poteſtates reſpectu Clericorum, proindè Clericos non teneri parere illis, nec iure diuino, nec humano, niſi quantum ad leges quaſdam directiuas: Itanè porrò in ijs iam quæ non ſunt contraria ſacris canonibus, &c? At quo iure debetur, quæ à iure pariter diuino & humano excluſa eſt? Certè non iure aliquo, ſed placito ſuo, quia quoad directionem non quoad coactionem, vt ſi velint, pareant, ſi vero nolint cogi non poſsint; quomodò Rex alteri Regi benè monenti citra iniuriam ſuam obtemperat; immò & Rex conſiliarijs ſuis pia, & ſalutaria conſulentibus paret; quod ab honeſto quidem debet; & tamen ſi aliter ipſi, quemadmodum *Roboamo*, viſum fuerit, penes ſe res eſt, neque quiſquam eſt qui obſequium extorquere poſsit.

Hoc eſt ſcilicet obedientiæ debitum Bellarminianum. Cæterùm verò attendite quod dicit; *In ijs debetur obedientia, quæ non ſunt contraria ſacris Canonibus, &c.* At Canones iſti, & Canonicæ diſpoſitiones, quibus tandem authoribus conſtitutæ ſunt? nempè Pontificibus, & Epiſcopis: hoc eſt ergo dictatum Bellarmini; debetur a Clericis obedientia quoad placet; quia ſi ipſis contra ſancire viſum fuerit, mox obedientiæ vinculum omne diruptum eſt; eodem modo ac ſi rebelles, & proditores de obedientia poſtulati reſpondeant, debere ſe quidem obedientiã, ſed in ijs tantum de quibus ab ipſis haud aliter decretum ſit, & ita, vt quoad placet, dirigi ſe ſinant, cogi recuſent. An verò hoc præceptum eſt Apoſtolicum? an hæc mens Chryſoſtomi? Laici vt neceſsitate obtemperent, Clerici vero haud vltrà quam ipſis, quam Pontifici viſum fuerit? Immò ne hoc quidem ſtat; nam nè laici, quidem obtemperare tenentur, vltra quam Pontifici placet; vt eò tandem hortatio Apoſtoli recidiſſe videri debeat, *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto,* quouſque Pontifici viſum fuerit, excommunicando, vel deponendo denunciare non eſſe amplius, quę fuerunt ſupereminẽtes poteſtates: An vero vaſalli dant leges Dominis ſuis? & ſubditi diſponunt contra Reges? & qui in ordinẽ iure diuino coguntur, an ipſi ſibi iura ſcribunt, quibus à iugo illo relaxentur? Apoſtolus, Euangeliſta, Sacerdos, Epiſcopus Principibus parere iubentur; & Apoſtolus, Euangeliſta, ſacerdos, Epiſcopus, ipſi ſibi Canonibus ſuis, ne pareant, immunitatem dant? Hoc eſt videlicet machærâ truncare nodum, quem digito commodè reſoluere non poſſis.

PRÆLECTIO QVARTA.

Paragraph.

I. *Clericos Principum poteſtati obnoxios eſſe, docetur exemplo Chriſti tributum Cæſari ſoluentis Mat.* 17.

II. *Bellarmini reſponſio ad exemplum Chriſti refellitur.*

III. *Principes in Clericos poteſtatem habere, teſtimonio Chriſti Ioan.* 19. *confirmatur.*

IV. *Prior reſponſio Bellarmini ad prædictum locum (viz.* Chriſtum de facto, non de iure Pilato ſubiectum fuiſſe) *euertitur.*

V. *Poſterior Bellarmini reſponſio* (ſcil. Chriſtum in Pilato, agnouiſſe non poteſtatem iudiciariam, ſed permiſsionem tantùm) *examinatur.*

I. OMnem animam Regię poteſtati ſubiectam eſſe oportere, ab exemplis Pontificum Prophetarum, & Sacerdotum, de quibus ſolis exceptio ab aduerſarijs interponitur ſuperiori lectione è veteri Teſtamento demonſtratum eſt. In nouum verò teſtamentum intuentibus occurrit mox Matt. 17. exemplum, quo nullum fælicius aut ad inſtitutum noſtrum accommodatius vel fingi poteſt, Seruatoris Chriſti, & Apoſtoli Petri, quorum ille ſuo, & Petri nomine, ne vel Chriſti Vicarius, vel Petri ſucceſſor hic ſibi aliquid immune eſſe arbitretur, tributum ſoluit Imperatori, quod ſignum ſubiectionis omnes gentes interpretantur, eoque nomine teſte Aquinate, requiritur hic ab Apoſtolo Principibus præſtandum. Immò teſte ipſo Bellarmino, in primâ operum editione, qui *de Clericis*, cap. 28. coniungit duo illa, *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto : Ideo tributa præſtatis. Illud, omnis anima,* inquit, *includit Clericos, teſte Chryſoſtomo, ergo illud, ideò tributa præſtatis, dicitur etiam Clericis.* Quo Clericos ipſos iure diuino Principibus ad tributum vſq; obnoxios recognoſcit Bellarminus. Hiſtoria verò ſic habet. Accedunt ad Petrum Quæſtores, & Publicani, quibus vectigalium publicorum cura commiſſa eſt, & interrogant,

rogant, *Magiſter veſter non ſoluit tributum didrachma?* Ille verò, *Etiam* inquit. Vbi rectè Ianſenius & Maldonatus animaduertunt, non tantum de re præſenti, ſed de eo quod conſueuerat Chriſtus, inſtitutam eſſe quæſtionem, *Magiſter veſter annon ſolet ſoluere didrachma? Verbum* enim *eſt*, inquit *Maldonatus, non actionem, ſed conſuetudinẽ ſignificans. Petrus verò reſpondet, Etiam* inquit, *Confirmans Chriſtum ſolitum ſoluere.* Itaq; Lucas Burgenſis exponit, *Non ſoluit?* id eſt; *non conſueuit quotannis ſoluere?* & perinde reſponſum exponit; *Etiam, ſcilicet ſoluit, ſiue conſueuit ſoluere.* Atque hoc certè haud leuiter prætereundem eſt, Chriſtum nihil hic feciſſe, niſi de more ſuo, & quod antea quoque conſuetum illi fuerat; ex quo factum eſt, vt Petrus illud *Etiam* tam promptè & abſque vllâ hæſitatione, vel cunctatione reſponderit; quod certè alioquin facturus credi non poteſt: neque enim tam temerarius fuiſſet in concedendo, vt inconſulto Domino, hoc illi onus ex ſenſu ſuo, & cerebro imponere voluiſſet. Quanquam verò vnuſquiſque Chriſti actus nobis ad authoritatem imitationis, & exempli ſatis momenti continere cenſendus eſt; tamen inijcere maiorem fortaſſe religionem debet, quod frequenti actu repetitum grauiſsimo, & conſtantiſsimo iudicio factũ probatur, nec vllũ contingentiæ, vel occaſionis, prætextum admittere ſtatuendum eſt. Dato verò reſponſo hoc mox Petrus ad Chriſtũ accedit, Publicanorum poſtulationem, cum illo communicaturus, Chriſtus verò anteuertit eum, & quærit *Quid exiſtimas Petre? Reges terræ à quibus exigunt tributum, vel cenſum: à filijs ſuis an ab alienis?* Reſpondet Petrus; *ab alienis. Ergo*, inquit Chriſtus, *filij liberi ſunt.* Non diſcutio dicti rationem; quod per obſcuritatem rei, & ſententiarum varietatem multi operis, & laboris eſſet; ſufficiat inferre Chriſtum ſe pro illa, qua erat conditione, ſiue diuinitatis, vt Hilario, & Hieronymo, ſiue municipatus, vt Origeni viſum eſt, à tributo illo ſoluendo quod poſtulabatur, quod quale fuerit incertum eſt; liberum & immunem iure cuius ipſe ſibi conſcius fuit, quanquam orbi adhuc non innotuit, cenſeri debuiſſe. Et tamen, inquit, *ut ſcan-*

dalizemus eos vade ad mare & mitte hamum &c. Vbi Caietanus animaduertit, *non dictum à Chriſto ne ſcandalizentur, ſed vt non ſcandalizemus eos; ad ſignificandum* inquit *quod de ſcandalo actiuo vitando loquitur. Ieſus enim non adhuc cognoſcebatur, filius Dei, adhuc non habebatur liber quamuis eſſet, & propterea ſi negatio cenſus fuiſſet, actiui ſcandali rationem habuiſſet.* Ita quoque Lucas Burgenſis; *Ne ſcandalizemus,* hoc eſt, *nè cauſam ipſis præbeamus malè ſentiendi loquendique de nobis, habendo nos tanquam legis & templi Dei contemptores, id quod ſuaptè naturâ offenſiuum ſit, cauſam autem præbuiſſet iſtis Ieſus, quia ignotum ipſis erat Ieſum eſſe filium Dei, nec adhuc ſcire tenebantur quod nondum clarè latèque ſatis à Ieſu prædicatum fuerat, & Apoſtolis etiam ipſis prohibitum diuulgare; prouidenda verò ſunt bona non tantum coram Deo ſed etiam coram omnibus hominibus.*

Caietanus in Mat. 17.

II. Quæ quidem animaduerſio Burgenſis, & Cardinalis Caietani, prorſus euertit & infringit reſponſionem Cardinalis Bellarmini, qui cum negare non poſſet à Chriſto numeratum Cæſari tributum, dilabi ſe putat dicendo, *Chriſtum ſoluiſſe tributum, quia voluit, non quia debuit,* & cum duplicem afferat loci illius expoſitionem, *Chriſtum ſecundum vtranque rectiſſimè oſtendiſſe ſe liberum fuiſſe à tributo ſoluendo.* At hoc falſum eſſe Caietanus, idque veriſsimè affirmat, quia ita voluit Chriſtus ſoluere tributum, vt ſimul quoque voluerit debere ſoluere, & debuerit, quia nondum palàm notus erat filius Dei, nondum liber apparuit, nec verò adhuc tempeſtiuum fuit, vt appareret, ita vt negatio cenſus ſcandali dati rationem habuiſſet, quod Chriſtus propter ſtatum obedientiæ, quo tum fuit, non debuit dare, nec verò potuit, quia nihil potuit velle contra quam debuit.

De Cleric. c. 28.

Cæterum vt res tota dilucidior fiat, ſciendum eſt Chriſtum dupliciter conſiderari poſſe, vno modo ſimpliciter & abſolutè ſecundum quod naturâ, & in ſeipſo eſt: Altero modo ſecundum diſpenſationem humilitatis, & obedientiæ, quam ex voluntate Patris propter ſalutem noſtram ſpontè ſuſcepit. Diſtinctionis huius indicationem, & firmamentum habemus ex verbis Chriſti Mat. 26. qui

de

de diſtricto enſe Petrum increpans; *An exiſtimas*, inquit, *non poſſe me Patrem orare, & daturum illum duodecim legiones Angelorum, ſed quomodo tum implerentur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?* Vbi ſi Chriſtum abſolutè ſpectemus, docemur potuiſſe quidem orare Patrem, & legiones Angelorum obtinere; immò potuiſſet ſemet vindicare, vimq; illam omnem, & mortem declinare: quod ſi illum attendamus; quomodo oportet in caſu hoc decretæ diſpenſationis, qua in mundum venit miſſus à Patre vt moreretur, non potuit orare Patrem, non vim repellere, aut vindicare ſe, quia oportuit ſcripturas impleri, oportuit illa fieri quæ prædicta ſunt, nec potuit Chriſtus quicquam aliter quam oportuit, nec id tamen coactione, vel vinculo impoſitæ neceſsitatis; ſed voluntate non potuit. Pari ratione dicendum eſt Chriſtum, ſiquidem abſolutè illum cogitemus, fuiſſe liberum à tributo: quod ſi illum attendamus miſſum in ſimilitudine carnis peccati, *Factum ſub lege, factum nobis ſimilem in omnibus, excepto peccato*, certè quemadmodum debuit circumcidi, quemadmodum debuit baptizari, & Pilato ſubijci, & mori; ita quoq; debuit tributum ſoluere: liber, inquam, fuit abſolutè, quod verba volunt, ſed in hoc caſu non liber; quia ipſe ſe fecerat ſeruũ; ita Lucas Burgenſis, *Factus ſub lege ſimilem ſe reddidit cæteris omnibus, omni ex parte abſq; peccato: Beda per aſſumptam humanitatem vt crucem pro nobis ſuſtinuit, ſic & tributum dedit.* Atq; hoc optimè confirmat Hieronymus, ipſam hanc diſtinctionẽ noſtrã ſubinnuens, *Tributa quaſi regum filius non debebat, ſed qui humilitatem carnis aſſumpſerat, debuit adimplere omnem iuſtitiam.* Eccè vobis apertè, *non debuit, & tamen debuit.* In quo Bellarminus cæcus fuit; immò non cæcus, ſed perfidus, qui vidit & videre noluit, quia præiudicio ſibi, veritati quam oppugnat patrocinio eſſe ſenſit. Inſpexit illum locum Hieronymi, ſed addimus aliquid ex Auguſtino, quod opinor, nõ inſpexit, ex quo conſtet Chriſti actũ illum; etſi nullo modo ſoluere teneretur, ſed in eo voluit quod non debebat, tamẽ tenere nos, & ad ſubiectionẽ obligare Petrũ, & Petri ſucceſſores, & omnes animas Chriſtianas, quia hoc voluit, vt nobis

In Math. cap. 17.

exemplo eſſet, quid ſuis omnibus in hac cauſa faciendum eſſe velit. *Dicit Apoſtolica doctrina vt omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, & vt reddantur omnibus omnia, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; & cætera quæ ſaluo Dei noſtri cultu, conſtitutionis humanæ principibus reddimus, quando & ipſe Dominus, vt nobis huius ſanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis quo erat indutus tributum ſoluere non dedignatus eſt.* En hic Chriſti factum exemplare nobis eſſe, & ideo voluiſſe quod non debuit, vt in illo reliqui omnes quid debeant, ſciant dediſſe in ſe ſpecimen doctrinæ Apoſtolicæ, qua præcipitur, vt *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta ſit*, eo fine vt quicunque Chriſti ſunt, faciendum ſibi cenſeant quod Chriſtus fecit, tantóque magis faciant, quia illum hoc vident pro nobis, & exemplo noſtro facientem, cui alioqui ſecundum ſe obligatio faciendi nulla fuit.

De catechizand. rudibus cap. 2.

21. q. 1. Magnum quidem ex Ambroſ. in Luc. l. 4 cap. penult. ad initium. c. 5.

Vbi ne ſolus ſit Auguſtinus, Irenæus quoq; ſuccurrit, qui commemoratâ doctrinâ Apoſtolicâ, *Omnis anima &c. ideo tributa præſtatis*, *hoc* inquit, *& Dominus confirmauit, non faciens quidem quod à Diabolo ſuadebatur* (vt illum adoraret, habiturus propterea regna mundi, & gloriam eorum) *tributorum autem exactoribus iubens pro ſe, & pro Petro dare tributum, quoniam miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum deſeruientes.* Origenes in Rom. 13. *Exoluit tributum Dominus noſter Ieſus Chriſtus in carne poſitus; quod idcirco ſe dicit exoluere, non quod debitor ſit, ſed ne ſcandalizet eos. Quod ſi ille, qui nihil habebat in ſe Cæſaris, cum liber eſſet, ſoluit tamen tributum, quantò magis nos neceſſe eſt iſta tributa carnis expendere, & negotiationis noſtræ. Cæſar. Dial. 4. Pro ſe & Petro dari ſtaterem iubet, tanquàm homo noſtri ſimilis factus, noſtris affectibus obnoxius, & ad dandum tributum requiſitus pro ſe, & pro Petro ſtaterem præbens, pro Eccleſia voluntarius patitur, per ſemetipſum erudit illam neque Regi, neque Principi reſiſtendum citra noxam aliquid præcipienti, ſed æquo animo ſe tributo ſubmittendum.* Non habet hîc Bellarminus quà effugiat, quia quantumuis Chriſtum ſecundum ſe liberum à tributo ſoluendo conſtituat,

Cont. hæreſ. l. 5. cap. 20.

Origen. in Rom. 13.

ſtituat, eò tamen ſe vicarius Chriſti conſtrictum ſentire debet, quod Chriſtus viam ſuis exemplo ſuo præire voluit,& præoccupare facto ſuo, quod poſteà per Apoſtolum verbo edocturus eſſet. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto, ideo tributa præſtatis.*

Sed eſt hîc aliquid vltrà, in quo Cardinalis Ieſuitæ ſingularem fraudem animaduerſam vobis eſſe cupio; qui cum videat Chriſtum non pro ſe tantum, ſed etiam pro Petro ſoluiſſe tributum, de Chriſto reſpondet ſoluiſſe illum, quod iure non debuit, quod filius Dei eſſet;de Petro verò, cui reſponſio illa quadrare non potuit, reſpondet planè nihil, vt non immeritò ſuſpicemur, ſcrupulum hîc illi aliquem hæſiſſe, quem haud facile ſibi eximendum arbitratus eſt. Ac nequis hoc illum putet non optimè perſuaſiſſe, ſciendum eſt in primâ operum editione, in qua immunitatem Clericorum iure tantum humano non diuino conſtare defendit,interpoſitam ab illo exceptionem, quominus locus iſte pro immunitate illa faceret, *Quia Chriſtus de ſeipſo tantum loquitur, & argumentum illud facit pro non ſoluendo tributo*; *Dominus*, inquit, *cum ait*; *Ergo liberi ſunt filij, id ſolùm inde colligi voluit, ſe non fuiſſe obligatum ad ſoluendum tributum; de cæteris hominibus nihil dixit.* Quod ſi ſe tantum à tributi debito Chriſtus ibi exceptum voluit; quod manifeſtum eſt, ſequitur illum pro Petro ſoluiſſe, non aliud, quàm quod pro ſe debebat Petrus; ex quo euincimus Petrum ſe non facto tantùm Imperatori Romano, ſed iure ac debito, Chriſto ipſo atteſtante, ſubieciſſe. Colligamus ergo iam in vnum omnia. Si ſubiectio pars iuſtitiæ, quam Chriſtus adimplere debuit; ſi illam in ſe ſuis exemplarem eſſe voluit; ſi facto ſuo præceptionem Apoſtolicam comprobare; ſi Petrum Imperatori iure ſubiectum eſſe confirmet, certè quia diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum, nec vicarius ſupra Dominum, nec tranſit in ſucceſſorem ius aliud,quam in ſuperiore compertum eſt, ſequitur non eſſe vicarium Chriſti, non Petri ſucceſſorem, qui Chriſti, qui Petri exemplo repudiato, qui ſpreto Pauli præcepto, vtrinque tam ſanctè cuſtodito, ſubiectos ſibi eſſe cogit Dominos ſuos,

ſuos, & contra Scripturas authoritate ſua populares ſuos ab obligatione ſubiectionis, & tributi ſolutos, & liberos fore decernit. Longe àlitèr vetus Eccleſia, de quâ Ambroſ. lib. 5. ep. 32. *Orat, ſi tributum petit Imperator, non negatur; agri Eccleſiæ tributum ſoluunt; ſoluimus quæ ſunt Cæſaris Cæſari; tributum Cæſaris eſt, non negatur.* Plura Bellarminus ipſe in priore editione adduxerat, nominatim

. q.8. Tribu- m. illud vrbani Pontificis apud Gratianum; *De exterioribus ſuis Eccleſia tributum ſoluit*, ſed in poſteriori editione aliâ mente eſſe didicerat, & illa omnia abſque ratione reſecanda viſa ſunt.

III. Alter locus è nouo teſtamento ante à nobis indicatus

ian. 19. eſt, vbi Pilatus Chriſto ait, *Neſcis poteſtatē me habere crucifigendi te, & poteſtatem habere te abſoluendi?* Cui ille; *Non haberes in me poteſtatem niſi tibi datum eſſet deſuper.* Vbi manifeſtum eſt conſtitutam eſſe diuinitus in Chriſtum poteſtatem ciuilem, cui in illo ſtatu humilitatis per obedientiam ad mortem vſque ſubiectus eſſe debuit: Atque ἐξουσία quidem, quo vocabulo ibi vtitur, non poteſtatem virium, aut violentiæ notat, ſed poteſtatem iuris, quam ſecundum ſe iuſtam fuiſſe neceſſe eſt, quia de cœlo data eſt.

IIII. e cler. c.30.] Reſpondet Bellarminus de Clericis, cap. 30. *Chriſtum de facto ſolùm, non de iure fuiſſe ſubiectum*; quæ illi diſtinctio in hac cauſa multò admodum vſui eſt, vt planè periturus fuiſſe vndarum tempeſtate videatur, niſi hâc ſe virgulâ fluctuantem ſubleuaſſet. At hìc prior diſtinctio noſtra tenenda eſt; Scripturarum & patrum authoritate comprobata, Chriſtum ſi abſolutè rem attendere velimus, Pilato non potuiſſe iure vllo eſſe ſubiectum; quod ſi decretum diuinitus ordinem rerum inſpiciamus, iure debuit Chriſtus Pilato eſſe ſubiectus; quia Patri iam humiliatus iure debuit obedientiam exhibere; iure *illum ſe* poteſtati in ſe cœlitus datæ ſubmittere oportuit, ita *Luc. Burgenſis: Non reluctor ego, ſed Deo Patri meo obediens fero.*

V Quod cum videret, opinor, Bellarminus, aliam ſibi rimulam excogitauit, quâ euaderet. *Poteſtas,* inquit. *deſuper data quam in Pilato Chriſtus agnoſcit, non poteſtas iudiciaria,*

ciaria, ſed permiſſio intelligenda eſt, vt Sancti Patres docent Chryſoſt. & Cyrill. Ac Chryſoſtomus quidem tale aliquid habet; Cyrillus verò eo tantum fine adductus eſt, ne Chryſoſtomus ſolus eſſet: hoc eſt enim tantummodo quod Cyrillus vult, ne Chriſtus ad paſsionem & mortem coactus putetur. *Quomodo enim,* inquit, *qui natura Deus & Rex omnium à ſcriptura prædicatur, cogi ab aliquo poteſt? hunc igitur errorem radicitus euellit, dicens; niſi tibi datum eſſet deſuper. Datum,* inquit, *eſt deſuper, id eſt, conceſſit conſenſitq́, pater vnà cum filio.* Non ergo hic coactionem, ſed voluntatem eſſe confirmat, ac proindè concludit; *Suo igitur nutu, & voluntate Patris, datam eſſe Pilato poteſtatem ait, vt quicquam aduerſus eum agere poſſet.* Nihil ergo hìc de permiſsione, ſed tantummodo de poteſtate; poteſtate verò non quâ cogeretur Chriſtus tanquàm alienâ, ſed cui ſe ſponte ſubijceret à ſe datâ. Quare quemadmodum *Oblatus eſt quia voluit* actu vno, ita quoque actu continuo humiliatus eſt, quia voluit, ſed iam humiliatus id debuit, quod humiliato ius, & æquum fuit. Eſa. 53.

Chryſoſtomi lingua quidem alia, certè mens eadem fuit, tantum ne quicquam inuito Chriſto factum crederetur. *Hoc verbum, Datum,* inquit, *in hoc loco permiſſiuum eſt, quaſi diceret, permiſit hæc fieri.* Ergo, inquit ille; *Non poteſtas iudiciaria hic, ſed permiſſio intelligenda eſt.* Hìc verò iterum fraudem Ieſuitæ, quæſo, attendite. Neque enim Chryſoſtomus poteſtatem interpretatur permiſsionem, ſed datum eſt, inquit, id eſt permiſſum eſt. Non haberes poteſtatem niſi tibi deſuper permiſſum eſſet eam habere &c. Qualem verò permiſsionem intelligat Chryſoſtomus, Exponit nobis Lucas Burgenſis. *Non hoc ſolum dicit permitti Pilato à Deo, vt ipſi noceat, quemadmodum quæuis alia in mundo impiorum in Sanctos nocumenta à Deo permittuntur, ſed ſingularem permiſſionem intelligit, magno conſilio, ſummaſq́, ab cauſis initam, qualem credibile eſt ſequi ex amore Dei Patris in filium, cui nihil aquè ac filius curæ eſt. Nam vt in alios omnes ipſi permiſſum eſſet poteſtatem ſuam pro arbitrio ſuo exercere, non tamen in filium Dei, niſi accedente* In Ioan. hom. 83.

 ſingulari

ſingulari Dei permiſſione, myſticaq́; diſpenſatione, ordinatione, diſpoſitione, non ob crimen aliquod quod non cadit in filium Dei, ſed ob grauiſſimam cauſam redimendi generis humani. Non alia ergo hîc permiſsio intelligenda eſt, niſi cum quâ conſilium Dei diſpenſatio, ordinatio, diſpoſitio coniuncta ſit. Ergo vt reponamus Bellarmino reſponſionem ſuam. Permiſſa eſt; hoc eſt diuinitus conſulta, diſpenſata, ordinata, diſpoſita Pilato in Chriſtum Poteſtas eſt.

Videte verò Bellarminus quàm ineptè rem agit, qui duo illa ponit tanquàm aduerſa, & incompatibilia, quæ optimâ ratione coincidunt, & ſimul in cauſa ſtare poſſunt. Neque enim permiſsio excludit iudiciariam poteſtatem, neque iudiciaria permiſsionem, ſed iſta ſe mutuò amiciſsimè complectuntur. Iudiciaria poteſtas per Deum in Pilato eſt, permiſsio in Deo quid hìc eſt quominus Deus Chriſtum, vel Chriſtus ipſe ſe permittat iudiciariæ poteſtati, quæ per Deum in Pilato eſt? Dicatur ergo ex Chryſoſtomo; *Non haberes in me poteſtatem niſi permiſſum tibi eſſet deſuper,* certè poteſtas hic aſſeritur cui permiſſus eſt. Ac *Iudiciaria* quidem *poteſtas iſta eſt*; quia de quâ poteſtate Pilatus ait: *Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigendi te, & poteſtatem abſoluendi*; Hoc eſt, adiudicandi te crucifigendum vel dimittendum, quæ non alia quàm iudiciaria fingi poteſt; de eadem ait Chriſtus; *Non haberes in me poteſtatem niſi tibi datum eſſet deſuper.* Deſuper ergo data Pilato in Chriſtum iudiciaria poteſtas eſt. Nec enim alia ibi poteſtas intelligitur, quàm quæ hic ab Apoſtolo appellatur. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto,* cui poteſtas, quæ dicitur, *Iudex eſt ſeculi, rerum temporalium gubernatrix, rerum humanarum adminiſtratrix, regum & principum poteſtas Deo miniſtrans,* quemadmodùm antè ex Origine, Auguſtino, & Irenæo oſtenſum eſt. Eandem verò vtrobique poteſtatem intelligi confirmat nobis Auguſtinus, qui eandem Chriſti, & Apoſtoli ſententiam facit. *Diſcamus,* inquit Auguſtinus, *quod dixit Chriſtus, quod & per Apoſtolum docuit; Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Idem ergo Chriſtus quod Apoſtolus; *Non eſt*

Aug. in Ioan. tract. 116.

poteſtas

poteſtas niſi à Deo. Atque in eam ſententiam Bernardus; Epi.
Iam tunc per ſe loquebatur, & in ſe experiebatur quod poſt
per Apoſtolos Clamauit in Eccleſijs; Non eſt poteſtas niſi à
Deo. Itaque addit paulò poſt; *Romani Præſidis poteſtatem*
ſuper ſe quoque Chriſtus fatetur fuiſſe cælitus ordinatam. Ac
tenetur quidem hic magiſter ſententiarum qui in multis
non tenetur; *Pluribus ſanctorum teſtimonijs,* inquit, *in-* Sen dist.
dubitantèr monſtratur quòd poteſtas mali à Deo eſt à quo eſt
omnis poteſtas: Ait enim Apoſtolus, non eſt poteſtas niſi à
Deo; Quod non de poteſtate boni tantùm, ſed & mali intelligi
oportet, cum Pilato etiam veritas dicat, Non haberes in me
poteſtatem niſi tibi datum eſſet deſuper. Qua de re Augu-
ſtinum affert, *Cupiditatem nocendi poteſt homo habere; pote-* In P
ſtatem autem, ſi ille non dat, non habet. Ita ergo hic per-
miſsio fuit, vt nihilominus iudiciaria poteſtas à Deo da-
ta, cui ſubiectus Chriſtus, & quâ cruci addictus eſt, quæ
eadem quoque in tyrannorum exceſsibus aſſerenda eſt,
vbi perſequantur Eccleſiam, & corpus Chriſti: Interim
verò *tumoris elatio, non ordo poteſtatis in crimine eſt,* ait Gre- Greg
gorius; *Nec potentia quæ iuſta eſt, ſed actio praua damnatur.* l. 2
Datur enim poteſtas à Deo haud aliter quàm *viſus nobis*
à Deo vel auditus donatus eſt; Vt certè monet Origenes;
Quæ cum à Deo in poteſtate noſtra ſunt, vti viſu vel auditu Orig
ad bona vel mala poſſumus, & in hoc iuſtum Dei iudicium 13.
eſt, quod his quæ ad bonos vſus ille dedit, nos abutimur ad im-
pia & iniqua miniſteria; ita ergò & poteſtas omnis à Deo data
eſt, ad vindictam quidem malorum, laudem verò bonorum;
erit autem iuſtum Dei iudicium erga eos, qui acceptam poteſta-
tem ſecundum ſuas impietates, & non ſecundum diuinas tem-
perant leges. Concidit ergo Bellarmini reſponſio, & ma-
nifeſtum eſt Chriſtum iudiciariæ poteſtati fuiſſe ſubie-
ctum, & id quidem iure; non iure abſoluto, ſed poſitiuo,
& ſecundum hoc quia ſe obedientiæ legi ſubiecerat; hæc
autem in illum cælitus ordinata poteſtas eſt, cui per obe-
dientiam ſe ſubijceret.

Præ-

PRÆLECTIO QVINTA.

Paragraph. I. Probatur ex Chriſti verbis, Luc.22. *Apoſtolos & eorum ſucceſſores poteſtatem temporalem, quâ ſecundum hoc ſeculum magni ſint, & pœnis temporalibus cogant illos qui inobſequentes ſunt, vſurpare ſibi vel affectare non debere.*

II. *Proponitur reſponſio Pontificiorum, viz. non hic dominatum & poteſtatem ſecularem, ſed abuſum tantum poteſtatis, faſtumque omnem, & inſolentiam, interdici.*

III. *Refellitur prædicta Reſponſio.*

IIII. Puritanis *occurritur, qui ex hoc loco inferre conantur, nefas eſſe Epiſcopo, vel Clerico, quouiſmodo temporalem aliquam poteſtatem adminiſtrare.*

V. *Probatur* κατακυριεύειν *non ſignificare iniuſtum Dominatum, ſed poteſtatem duntaxat coercendi per vindictam temporalem, & cogendi.*

VI. *Reſpondetur ad duo teſtimonia, quibus Bellarminus expoſitioni ſuæ fidem facere conatur.*

VII. *Rationes Bellarmini ex circumſtantijs contextus petitæ diluuntur.*

I. Atque hactenus iam ex duobus iſtis locis, Chriſtus humiliatus, qualis propter nos, & exemplo noſtro fuerit, oſtenſum eſt; ſequitur vt dicamus quales ſuos eſſe voluerit præcepto ſuo, quod dubitandum non eſt cum exemplo conuenire; vt dicamus, inquam, in quo illos voluerit numero reponi, eorumnè quibus *ſuperiorum poteſtatum* nuncupatio conueniret, an verò animarum quæ ſuperioribus poteſtatibus ſubeſſe teneantur. Id verò

Luc.22. manifeſtum eſt ex Luc.22. vbi de maioritate contendunt Apoſtoli, à Domino verò reprehenduntur, & documentum accipiunt, quo intelligant, ad ſe Dominij prærogatiuam illam, quam ſomniare videntur, qua ſupereminentes in ſeculo poteſtates ſint, minime pertinere; *Reges gentium Dominantur, &c.* quibus verbis apertè ſignificat, Apoſtolos

ſtolos

Google

ſtolos ſuos, & conſequenter eorum ſucceſſores, à dominatu omni, & poteſtate temporali, qua ſecundum hoc ſeculum magni ſint, alienos ſe (ſaltem ratione functionis ſuæ propriæ) agnoſcere debere; miniſterium eſſe ad quod vocantur, & vtcunque alij alios excellant, nihil inde habere, niſi vt tanto officioſiùs pro Domino miniſtrent, carere prorſus iure illo quod Principes exercent, quo pœna temporali, & corporali cogant illos qui inobſequentes ſint; vſurpare ſibi vel affectare non debere, vt propter ſeculi gratiam & potentiæ metum quicquam ipſis deferatur. Ex quo relinquit, cùm Domini eſſe non poſſint, pariter ſecum, Principibus & Dominis ſecularibus, ad mortem vſque, ſi vſus fuerit, ſubiectos eſſe oportere.

Hic concurrunt Pontificij omnes, tanquam ad commune rerum ſuarum incendium, quia ſi hic dominatus interdicitur, mox actum de Papatu eſt. Dicunt ergo vnâ voce omnes, Bellarminus, Ianſenius, Maldonatus, Gretzerus, & reliqui non hîc dominatum, & poteſtatem ſecularem ſed abuſum poteſtatis, qualis tyrannorum eſſe ſolet, faſtumque omnem ac inſolentiam interdici: Bellarminus verò impudentiſsimè omnium rem agit de *Romano Pont. lib. 1. cap. 9. Reſpondeo*, inquit, *tum hoc loco, tum* Matt. 20. *Dominum non remouiſſe Monarchiam ab Eccleſia, ſed potius eam inſtituiſſe, atque admonuiſſe diuerſam eſſe à Monarchia ciuili gentium.* Optime verò: ſed qui id tandem? *primum enim, non ait Dominus, vos non præſidebitis vllo modo, ſed non ſic vt Reges gentium. Qui autem dicit, tu non ſic præeris vt ille, id ſignificat, præeris quidem, ſed aliter quam ille.* At illud *aliter* quid ſibi vult? *vult vnum ex ſuis verè præeſſe, ſed abſque libidine dominandi, qualis eſt in Regibus gentium, qui tyranni ſunt plerumque, imperantque ſubiectis vt ſeruis, & omnia referunt ad ſuum commodum & gloriam*: lib. 5. de *Rom. Pontifice cap.* 10. ita rem explicat: *Dico Dominum illis verbis non prohibere Epiſcopis Dominatum, qualis eſſe poteſt Regum, & Principum piorum, ſed qualis eſt Regum ignorantium Deum, qui tyranni potius ſunt quam Reges. Id quod patet*, inquit, *ex verborum Græcorum* proprietate; *nam Matthaus non* (*De Ro… cap. 1…*)

ait ; κυριεύουσιν αὐτῶν *id eſt, dominantur ſimpliciter*, ſed κατακυριεύουσι, id eſt, *violenter dominantur*.

III. Vbi certe mirari poſſumus Bellarmini vecordiam, & ſtupiditatẽ, ſi tamẽ ſtupiditas & non potius inſanus furor atque amentia dicenda ſit. Nam ad præſentem occaſionem qui hoc tandem quadrare poterit ; neque enim Apoſtolorum animus erat abuti dominatu, ſed dominari in regno Chriſti, quod ei in hoc ſæculo fœlicisſimum, & glorioſisſimum futurum expectant, contendunt inter ſe quis maximus futurus ſit, quis ad dextram, quis ad ſiniſtram aſsideat, quis ſummo loco dominandi authoritate cæteris antecellat ; An verò hic reſpondet Chriſtus; non erit dominatus veſter faſtuoſus, & ſuperbè libidinoſus ad ſubditorum iniuriam, qualis tyrannorum eſſe ſolet, ſed moderatus, & placidus, qualis eſſe ſolet piorum Regum? At prorſus hoc extra oleas, vt loquuntur; οὐδὲν πρὸς ἔπος ; & quidem in promptu reſponſio fuiſſet, Nobis non eſt animus, Domine Ieſu, dominari quomodo tyranni, ſed quomodo pij Reges ſolent. Et quis tandem tam à vero auerſus eſt, vt mentem diſcipulorum in illo dominatu, quem affectant, aliter interpretari velit. Sed hic contentio recurrit, neque minus feruet, quàm prius in tali illo dominatu, qualis piorum regum eſſe ſolet, qui ſcilicet Chriſti regno conueniat, quis maximus futurus ſit. Ergo reſponſio Chriſti, niſi illam otioſam eſſe velimus, ſimpliciter intelligenda eſt, Reges gentium dominationem & poteſtatem exercent, vos verò non ſic ; vt ſe intelligant non in numero ſupereminentium in ſeculo poteſtatum futuros, ſed in ordinem ſubiectarum animarum eſſe redigendos.

Cæterùm vt locum penitiùs inſpiciamus, abſque ratione facit Bellarminus, vt *Reges gentium*, *tantum Ethnici Principes intelligantur*, & qui ignorant Deum, quaſi hic *Gentes* Iudæis oppoſitæ habeantur, cum tamen apertum ſit, haud minùs hoc quod dicitur, ad gentem Iudæam, quam ad aliam quamuis pertinere ; tantóque magis quod ab illorum conſuetudine petitum ſit, quòd ait Chriſtus, *Qui poteſtatem in illos exercent, Benefici vocãtur*, apud Hebræos

bræos enim *Nadib, liberalem, beneficum, munificum, magnificum notat*, & nomen ad Principes & Heroas tranſlatum eſt, vt dicantur *Nedibim*, prout paſsim in Scripturis videre eſt, & inde mutuata Aegyptijs nuncupatio. qua ex illorum Regibus pauciſsimi quidam Εὐεργέται dicti ſunt, quam tamen apud alias gentes increbuiſſe haud facile videre eſt, vt haud minus Chriſtus ab exemplo Regis Iudæorum quam Ethnicorum Apoſtolos hic auocare cenſendus ſit, immò & Chriſtianorum quoque, quia promiſcuè hic Reges omnium gentium intelligendi ſunt.

Secundò ex Regibus ipſis Ethnicorum quantus numerus fuit, quos fuiſſe conſtat mites & moderatos Principes, clementiâ, bonitate, beneficentiâ, & ſingulari virtutum præconio nobilitatos, ita vt Auguſti eorum, & Titi, & Traiani, meritò ſpecula Regiarum virtutum habeantur, quos omnes indefinitâ nuncupatione cum tyrannis inuoluere alienum à Chriſti mente fuiſſe dubitare non poſſumus. Itaque per principes iſtos manſuetos, patriæ patres & rerumpublicarum conſeruatores, quidni ludificentur interpretes iſti ſententiam Chriſti, vt quod ab vna parte dicitur, *Reges gentium* populis ſuis per tyrannidem inſultant, & ſe ambitioſe gerunt in illos, Vos verò non ſic, hoc illi ex altera parte reddant, Reges gentium ita dominantur, vt moderatè atque placidè ſe gerunt in ſuos, illorumque commodis omni curâ conſulant, vos ergo ſic, & Reges Regum illorum ſimiles ſitis: Quod ſi nemo dicere audeat, ne Iuliano ſimilis, aut Porphyrio, Chriſto apertè repugnare videatur, ſupereſt vt Chriſti ſententia ſimpliciter de Regibus intelligatur, & ſecularis dominij poteſtate temporali, vt eam ſibi Apoſtoli, quod ad Apoſtolatum attinet, prorſus interdictam eſſe ſentiant.

Vide Mat... 94.9... ordin... ges ... rigen...

Tertiò ſi improba tantummodo dominatio hic intelligatur, quid intererit hic inter Apoſtolos & Reges etiam Ethnicos, vt non vtriſque admonitionem hanc abſque diſcrimine datam putes? Reges gentium quamplurimi per tyrannidem dominantur; vos verò Apoſtoli non ſic. Quin & vos quoque Reges non ſic, etiam quamuis Eth-

nici ſitis, vos quoque non ſic. Nam & Ethnicis quoque Regibus dicitur, *Diligite iuſtitiam qui Iudicatis terram*, *Sap.* 1. 1. Et Nabuchodonoſorum hortatur Daniel; *Redime peccata tua iuſtitiâ, &c.* Et plena ſunt Ethnicorum quoque ſcripta præceptis ſalutaribus, quibus ſic inſtituunt Reges ſuos; Quin & retrocurrat licet hæc hortatio à Pontificibus ad Reges: Pontificum ingens numerus nonniſi lupi, & apri ſylueſtres, graſſatores, & latrones, Eccleſiam Dei depopulantes, monſtra teterrima, Diaboli incarnati, quinquaginta ordine, teſte Genebrardo, non *Apoſtolici*, ſed *Apotactici*, & *Apoſtatici*, vos verò Reges non ſic; quin potius ſitis reipſâ, quod illi verbo per hypocriſin dici volunt, *ſerui ſeruorum Dei*, quia *boni* Reges, teſte Bellarmino, *ſeruiunt eis quibus imperant, quia laborant regendo, & imperando, non propter ſuam vel vtilitatem, vel cupiditatem, quod tyrannorum eſt, ſed propter populi vtilitatem, & propter publicum bonum.* Certè verò non credimus illam Chriſti mentem fuiſſe, quæ hoc modo ſuſque deque verti, atque inuerti poſſet, quin potius proprium hic aliquid Apoſtolis tradidiſſe, quod ad Reges huius ſeculi pertinere non poſſit. Immò videte denique per illorum doctrinam, quo Chriſti ſententia reciderit. Contendunt diſcipuli de maioritate in regno Chriſti; Increpat verò illos Chriſtus, ſi Bellarmino credimus, in hanc ſententiam; Reges gentium dominantur eis tyrannicè. Vos verò non ſic. Ego enim vos conſtitui, qui Regibus ipſis ſuperiores ſitis, qui dominium in illos, & poteſtatem exerceatis, & vbi opus fuerit, de regalibus ſuis ac dignitate omni deponere poſſitis. Hiccine verò Chriſti animus fuiſſe videatur? Siccine diſcipulorum ſuorum ſpes carnales, & falſas, & ambitioſa conſilia caſtigat, & corrigit? *inſtituenda* ſcilicet *Monarchia*, vt loquitur Bellarminus, qua omni Regum maieſtate ſublimiores ſint? Quantò ſanctiùs Bernardus, & veriùs ad Pontificem, *Non tibi Petrus dare, quod non habuit, potuit: quod habuit, hoc dedit, ſolicitudinem ſuper Eccleſias: nunquid dominationem? Audi ipſum; Non dominantes in Clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſolâ humilitate putes, non etiam veritate, vox Do-*

Sap. 1. 1.
Daniel. 4. 24.

Math. Tortus pag. 131.

Non ſic inter vos: Tu Petre, cum ſucceſſoribus tuis, Romani imperij hæres eſto. Beat. Rhenan. pa. 650

De conſider. l. 2.

mini eſt in Euangelio, Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Et infert, Vos autem non ſic: Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si vtrunque ſimiliter habere voles, perdes vtrunque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus ſic; Ipſi regnauerunt & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui eos. Et mox: *Forma Apoſtolica hæc eſt; dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio.* Nihil expreſsiùs, nihil diſertiùs dici potuit; nihil ad Chriſti mentem accommodatius, qui miniſterium ſuum, & Apoſtolatum vult intelligi à Principatu & poteſtate temporali eſſe diuiſum.

Neque tamen hic Puritanorum curioſitati locus datur, qui nullo modo ferunt, vt Epiſcopi vel Clerici quouiſmodo temporalem aliquam poteſtatem adminiſtrent, quia aliud eſt de miniſterio Eccleſiaſtico diſſerere, quale ſecundum ſe ex verbo Chriſti conſtitutum eſt, quo ipſo prætextu, Romanenſes, Pontifici ſuo dominatum in Principes, Clericis à ſubiectione Principum immunitatem, aſſerere conantur; aliud de miniſtris dicere, tanquam ſubditis & ciuibus, quibus non miniſterij nomine, non iure aliquo ſuo, ſed Regiâ voluntate, & arbitrio propter bonum publicum reipublicæ & Eccleſiæ, temporalis aliqua dirimendi cauſas, & negotia, delegata & mandata poteſtas ſit, qui ſubiectionem apertè profitentur, quia omnis eorum adminiſtratio & executio Regio tantum nomine atque authoritate ſuffulta eſt. Cuius ei tanquam depoſiti cuiuſdam rationem reddere ſe, vbi requiruntur obligatos eſſe recognoſcunt; Multum verò intereſt rei cuique, quid per ſe, quid ex accidente conueniat, & poteſt quodam modo non illicitum aliquid eſſe, quod tamen licere ſimpliciter ex toto genere defendi non poteſt.

Cæterùm nè hic moremur, Bellarminus, vt vidimus, reſponſionis ſuæ prætextum adducit ex Græcorum verborum proprietate, quia habent Matthæus & Marcus,

non; κυριεύουσιν αὐτῶν, ſed κατακυριεύουσιν αὐτῶν. κατακυριεύειν verò non eſt ſimpliciter dominari, ſed violenter dominari; quod idem de κατεξουσιάζειν intellectum vult. Sed hoc illi haud ſatis tutum perfugium eſt; nam apud vulgatum interpretem, cuius illi verſio vna authentica, & citra exceptionē Tridentini concilij decreto eſſe iubetur; cōpoſitio illa haud ita multi momenti eſt, vt κατακυριεύειν vſquam aliter vertat quàm κυριεύειν; vtrumque enim vertit ſimpliciter *dominari*. Ita apud Matthæum & Marcum in verbis citatis & apud Petrum; μὴ δ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων; *non vt dominantes in Cleris*, quem locum Bellarminus affert pro ſententiâ ſuâ confirmandâ, nullâ omninò ratione, ſed tantum interpoſitâ authoritate ſua. Quod ſi in cōpoſitione illa tanta vis eſſet, haud facilè credimus illam à Luca præteriri potuiſſe, vt ſimpliciter *dominationem* ſuis Chriſtus interdicere videatur, vbi nonniſi dominantium vitia & abuſus interdicit.

Sed tamen præpoſitioni κατὰ in compoſitione iſtâ vim ſuam ineſſe haud prorſus abnuimus, non quæ ad dominatum addat aliquid, ſed quæ dominatus veram, & propriam rationem exprimat: verum eſt enim, κατὰ, nonnunquàm in compoſione deteriorem partem ſequi, & rapere in peius quod mediâ alioqui ſignificatione eſt. Ἔχω, habeo, κατέχω, detineo, κρίνω, iudico κατακρίνω, contemno τρέπω verto, conuerto κατατρέπω, in fugam conuerto τρέχω, curro; κατατρέχω, incurro; nempè vt qui depopulandi & vaſtandi cauſa inuadunt. Perindè ergo ſit in κατακυριεύω, & κατεξουσιάζω, vt læuum aliquid, & ingratum ſonent, ſed quibus & quo modo conſiderandum eſt. Rectè namque Poeta; *Regum eſt parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.* Illud verò *debellare* vim notat & compulſionem; & hoc quidem *dominari* eſt poteſtatem habere coercendi per vindictam, & cogendi eos qui parum obſequentes ſunt, Hoc eſt ergo κατακυριεύειν, &c. verè dominari vt nè impunè ferant, ſecundū hoc ſeculum, qui detrectant imperium, qui legibus & mandatis obtemperantes eſſe aſpernantur. Atque hoc eſt in quo *Henricus Stephanus* præpoſitionis vim notat vbi latinè vertitur: *Dominantur in eos, poteſtatem exercent in eos*, quia extorquent vltione obſequium, quod refractaria

peruerſi-

peruerſitas vltrò non præbet. Atqui verè vis etſi in malum ſit ijs quibus infertur, non tamen ſemper tyrannica; non ſemper improba vel iniuſta eſt; ſed eam clementiſsimi Principes, etiam inuiti nonnunquàm in immorigeros exequuntur, etiam iniuſti futuri, ni exequantur; *quia miniſtri Dei ſunt ad vltionem ijs quia malefaciunt.*

Cæterùm tamen duo teſtimonia Bellarminus affert, quibus expoſitioni ſuæ fidem facere conatur, planè ridiculus in vtroque, quia in altero pro ſe nihil habet; & alterum habet contrarium ſibi. Nam locus quem citat ex Pet. 5. *Non quaſi dominantes, &c.* eiuſdem cum locis iſtis, quos iam tractamus, quæſtionis eſt, & ſententiæ; quippe quo compresbyteris ſuis tradidit, quod ipſe hîc à Chriſto traditum accepit; ita vt intelligentia loci illius prorſus ab huius loci expoſitione dependeat, & petenda ſit: Peſsima ergò fraude per petitionem principij locum illum Petri adducit, quo huic loco lucem afferat, qui ipſe potiùs ab hoc illuminandus & illuſtrandus eſt.

In altero verò loco flagellum ſibi parat & ipſe ſe fune ſuo ſtrangulat. *Dixit Caleb; qui percuſſerit, Ciriathſepher & ceperit eam, dabo ei Achſam filiam meam vxorem. Græcè,* Ioſ. 15.
inquit κατακυριεύσῃ αὐτῆς, id eſt, *vi dominatus fuerit.* Optimè verò, Bellarmine; certè vim audimus, ſed vim iniuſtam non audimus, non tyrannidem, non abuſiuam & improbam dominationem; neque verè dici poteſt, quia vis illa pro exterpandis gentibus illis à Deo ipſo præcepta eſt. Hoc eſt ergo noſtrum κατακυριεύειν & κατεξουσιάζειν, poteſtate præ- *Concord pag.*
ditum eſſe qua per vim in ordinem redigat eos qui relu- Pag. 1001.
ctantur, & repugnant, nec quod iuſtitia ipſa imponit, iu- Ier. 3.14.
gum ferunt. Porrò habetur idem vocabulum Act. 19. Num. 21.24
Inſiliens in eos homo in quo erat ſpiritus malignus, καὶ κατακυριεύσας Act. 19.16.
αὐτῶν, & prædominatus eis, *inualuit contra eos, &c.* Quo in *Ar. Mont.*
loco videmus deſignari vocabulo illo meram vim, & impetum, quo præualuit dæmoniacus in illos, in quos inſilijt; quo ſenſu manifeſtum eſt ad vim quamcunque non iniuſtam modò, ſed iuſtam, qua quis opprimitur, accommodari poſſe. Ergo hoc Seruator Chriſtus, diſcipulos ſuos, magnos ſe fore ſperantes, more magnatum huius

ſeculi,

ſeculi, admonitos eſſe voluit, non eo ſe per illum loco fore in hoc ſeculo, vt poteſtate atque authoritate præpolleant, qua homines ſibi mulctationibus, & pœnis ſubiectos eſſe cogant; non in eum ſtatum prouehendos, qui mundanis oculis magnitudinem præ ſe ferat, vel repugnantibus fræno, & terrori eſſe poſsit; munus ad quod vocantur ab externo ſplendore omni alienum eſſe, & miniſteriò tantùm non principatu, & imperio definiri.

VI. At inſtat Bellarminus; *Nonne clarè hoc loco ſubiungitur qui inter vos maior eſt, fiat ſicut minor,* καὶ ἡγούμενος *& præceſſor, dux Princeps, ſicut miniſtrator; vnus igitur erat à Domino* inquit *dux deſignatus.* Videte verò hic, Cardinalis Ieſuita quam oculatus ſit, qui id videt quod ante illum nemo vnquam vidit. Sed triplex hic ab illo committitur fraus. Primò namque quod Chriſtus indefinitè proponit omnibus, hoc ille ad vnum reſtringit, tanquam vnum aliquem alloquatur ibi Chriſtus, quem maximum inter eos eſſe ſignificet. Atqui verò ex Matthæo & Marco manifeſtum eſt vniuerſaliter dici, *Quicunque inter vos voluerit eſſe primus*; ita vertente vulgato illorum interprete, & ſequente illum Aria Montano, ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν μέγας γενέσθαι;

Math. 5.32. quemadmodum Matthæi 5. ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ: *quicun-*

Math. 10.14. *que dimiſerit vxorem ſuam. Et Matth.* 10. ὃς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς:

Iac. 4.4. *quicunque non receperit vos. Et Iac.* 4. ὃς ἂν βουληθῇ φίλος εἶναι τοῦ κόσμου; *quicunque voluerit amicus eſſe huius mundi*, & infinitis alijs locis.

Secundò fallit, quia quod Chriſtus apertè refert ad exprobrationem & reprehenſionem ambitioſæ vanitatis, hoc ille detorquet ad deſignationem & conſtitutionem affectati ab illis principatus. Nam quod apud Lucam eſt, *Qui maior eſt in vobis,* ſiue *inter vos,* hoc apud Matthæum & Marcum legitur, *Quicunque voluerit eſſe magnus inter vos, eſto veſter miniſter, &c.* quaſi dicat, Qui è vobis, magnus eſſe deſiderat, quod vos plus æquo omnes deſiderare video, deponat opinionem magnitudinis, & eò ſe vocatum ſentiat, vt miniſtret, & ſeruiat. Quod ſi maioritatem hic ſtatuat Chriſtus qualem ſibi diſcipuli animo ſuo fingunt, iterum dico quid hic proprium Apoſtolis,

quid

quid quod non Regibus quoque commune ſit, quibus ſumma laus eſt, non ſuperbire fortunis ſuis, non efferri animis, non imperioſè in ſubditos agere, ſed placidè tanquam obſequio quodam, & blandimento ad inferiorum animos demulcendos ſibique deuinciendos, attemperare ſe, atque demittere. Id quod in Conſtantino laudat Euſebius, quem notat *non dedignatum cum multitudine per literas colloqui, & etiam ſingulos è populo fratres & conſeruos appellare*, & in Tito Veſpaſiani filio Suetonius & Eutropius, qui triſtem quenquam à ſe abire non ſuſtinuit, ita vt eum omnes *amorem & delicias generis humani nuncuparint*. Euſeb. 3.c.2

Tertiò in eo peccat, quod maioritatem, quæ ſiue in Apoſtolis, ſiue inter Apoſtolos eſſe potuit, vel fuit, quæ tantummodo ſpiritualis, & à mundi rationibus prorſus ſegregata eſt, ille ad carnalis præeminentiæ dignitatem, & prærogatiuam accommodat, qua mundo magnitudine ſua conſpicui, & illuſtres eſſent. Maiores fuiſſe Apoſtolos in regno Chriſti quibuſuis alijs Prophetis, Euangeliſtis, Paſtoribus, & Doctoribus, & fuiſſe inter Apoſtolos quoſdam ὑπὲρ λίαν ἀποστόλους ſupra communem modum Apoſtolos, qui quaſi *columnæ videbantur*, nemo dubitat, at non ita tamen vt ſecundum ſeculi rationem, ac modum maioritate præirent, hoc eſt, vt alij alijs vim afferre, pœniſque, ac damnis corporalibus afficere poſſent, ſed tantum gratiarum, & donorum eminentia, qua plenius in illis reluxit Chriſti virtus & potentia circa corda, non corpora, qua fortius, & efficacius obierunt miniſterium, quod illis à Chriſto mandatum eſt. Atque hoc ab exemplo Chriſti manifeſtum eſt, qui ſe ſuis hac in cauſa imitandum proponit, maior illis & tamen *ſicut ego*, inquit, *veni non cui miniſtretur, ſed miniſtrare; Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*; quaſi dicat; vtcumque alij alijs vocatione, ac donis ſuperiores ſitis, nolite tamen inde faſtum aſſumere, nolite alij in alios dominium vſurpare, idque agere vt pro ſeculi more poteſtatem in inuicem exerceatis, ſed voſmet ipſos componite ad exemplum meum, qui depoſitâ quodammodò propter vos maioritate omni, 2.Cor. & 12. Gal. 2.

qua in ſeculo magnus eſſe poſsim; tanquam miniſter vobis & ſeruus factus ſum.

VII. At inquit Bellarminus, *Chriſtus de ſe dicit, Vocatis me, magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum enim. Sicut ergo Chriſtus non dominabatur nec præerat ſicut Reges gentium, ſed miniſtrabat & laborabat, & tamen verè præerat, & Dominus erat ſic vnum ex ſuis præeſſe voluit, &c.* Mittamus quod ante caſtigatum eſt, accommodari ad vnum quod in commune omnibus dictum eſt: cum verò de dominatu externo & temporali ſermo ſit, qualem ſibi Pontifex in Reges aſſumit, &c. perinde rationem inſtituit Bellarminus, ac ſi dixiſſet, Sicut Chriſtus non dominabatur nec præerat, ſicut Reges ſeculi, & tamen verè Dominus erat & præerat. Ita vnum ex ſuis præeſſe voluit ſicut Reges ſeculi, tantum vt pro more piorum Regum ſeculi ſit, abſque faſtu & improba libidine dominandi. Ita quod Chriſtus clariſsimè in ſe negat, hoc ille tanquam ab exemplo Chriſti tranſſumit & attribuit mentito & nefariè à ſe ſubſtituto Vicario Chriſti. Atqui verò Chriſtus qui verè præerat tanquam magiſter & dominus, apertè de ſe teſtatur, *Regnum meum non eſt de hoc mundo; ſi enim, &c.* Dominus ergo Chriſtus, ſed non temporali poteſtate Dominus, non mundana dominatione, qua prout iam Pontifex orbi terrarum formidabilis videretur, non ad diuidendas hæreditates, non ad Cæſares deponendos. *Lut. Burg. Regnum meum non eſt contrarium monarchiæ Cæſaris.* Non ad conflandos exercitus, non cui ſatellites & miniſtri ad nutum ſint qui factas iniurias vlciſcantur; Dominus ad fidem eſt, Dominus ad ſpiritualis regni procurationem, Dominus ad illa quæ vitæ æternæ conſecutionem ſpectant. Eandem ergo ſuorum maioritatem quæcunque illa eſt, intelligendam docet; quæ non in rebus huius ſeculi, non in regnis diſponendis & diſtribuendis, ſed in ſpiritualibus tantum & cœleſtis regni negotijs occupata ſit.

Poſtrema exceptio planè puerilis & ſtulta eſt: *Reges gentium, etiam qui tyranni non ſunt, ita regna adminiſtrant, ſicut propriam hæreditatem quam filijs ſuis derelinquant; at*

Prælati Eccleſiæ non ſic. Ridiculum animal, Quaſi verò Petrum Chriſtus admonere voluerit obuenturum illi Eccleſiæ principatum, ſed non quem filio derelinquat; quaſi Reges illos tantum intellectos velit, quorum regna hæreditarij iuris ſunt; quaſi non illos quoque velit, qui electione Reges fiunt; quaſi hæc ante Cæſares, ad Romanæ reipublicæ Principes non pertineant; quaſi non ad Cæſares illôs quibus relinquendi filijs ſuis imperium ius nullum aut poteſtas fuit. Certè magis ineptum hoc eſt quàm vt hic morari operæ pretium eſſe videatur.

Digitized by Google

PRÆLECTIO SEXTA.

Paragraph.

I. *Ex Pauli appellatione ad Cæſarem euincitur, penes Cæſarem etiam in Apoſtolos ipſos imperium fuiſſe.*

II. *Referuntur variæ, & ſecum pugnantes Bellarmini reſponſiones.*

III. *Refelluntur prædicta reſponſiones, & fusè probatur Apoſtolum non tantum de facto, ſed & de iure ad Cæſarem appellaſſe.*

IV. *Retorquetur Bellarmini reſponſio in ipſum, & oſtenditur Paulum ex Bellarmini ſententiâ contra ius feciſſe, & poſtulandum eſſe de iniuriâ.*

I. PRo aſſerendâ ſupremâ poteſtate Regiâ, debitâque illi omnis animæ ſubiectione, poſt aliquot ex Euangelijs explicata loca; ſupereſt ex Actis Apoſtolicis exemplum Pauli Apoſtoli, qui cap. 25. vbi ſe videt Iudæorum calumnijs, atque mendacijs inuidioſiùs onerari, nec poſſe citra deſtinatam iniuriam apud eorum tribunalia iudicari, beneficio iuris vtendum ſibi cenſuit, & ad ſuperiorem ſuum pariter & illorum iudicem cauſam refert. Nam cum quærit ab illo Feſtus Iudæis gratificari cupiens velletnè aſcendere Hieroſolymam, & ibi cauſam ſuam coram ſe Iudice diſceptare, reſpondet; *Ad tribunal Cæſaris ſto, vbi oportet me iudicari, &c. Cæſarem appello.* Quem autem appellat quis, eum ſibi Superiorem, & Iudicem agnoſcit. Cæſar ergò Paulo Superior, & Iudex, & in Cæſare poteſtas illa cui quia omnis anima, etiam Pauli anima ad ſubiectionis officium obligata eſt. Apertiſsima res eſt, nam ad quem, quis in cauſâ ſuâ ſecundum rationem iuris appellat, eum extra omnem controuerſiam ſuperiorem ſe facit.

Dubius eſt hîc in reſponſione Bellarminus, quanquam non tam dubius quàm perfidus & impius qui contra id quod dictante conſcientiâ ſuâ ſcribit, ad Pontificiæ voluntatis arbitrium ſententiam, ſi opus eſt, aſsiduè nouam

fingit.

fingit. Nam lib. 2. *de Romano Pontifice cap.* 29. reſpondet primò ex Ioanne de Turrecremata, *Paulum appellaſſe ad Cæſarem, quia de facto erat Iudex ipſius, etſi non de iure.* Hanc verò reſponſionem haud ſatis rectam videri vult, quarè addit, *Secundo dici poteſt & melius ex Alberto Pighio diſcrimen eſſe inter Principes Ethnicos & Chriſtianos: nam quo tempore Principes erant Ethnici, non erat Pontifex iudex illorum,* ſed è contrario illis ſubiectus erat in ciuilibus omnibus cauſis non minus quam cæteri homines, id eſt, *& de iure, & de facto.* Merito itaque Paulus inquit Cæſarem appellauit, eumque iudicem agnouit cum accuſaretur ſeditionis, & tumultus in populo excitati. Hanc reſponſionem retinuerat ille in vtrâque operum editione, & tamen editione poſteriore libro *de Clericis cap.* 2. ita reſpondet, vt Paulum videri velit appellaſſe Cæſarem tantum vt iniurias Iudæorum auerteret, non quod eum verè ſibi & iure iudicem arbitraretur. *Coactus eſt,* inquit, *appellare Cæſarem, oppreſſus calumnijs Iudæorum, & iniuſtitia Præſidis Romani, qui ſolum Cæſarem ſupremum Iudicem agnoſcebant*; itaque ipſe de facto ſaltem, ſi non de iure Cæſarem iudicem agnoſcere debuit. Sed addit, nec ſine riſu exceptus fuiſſet, ſi B. Petri ſupremi Principis ac Iudicis ſui coram Gentilibus vel Iudæis mentionem facere voluiſſet. Hanc verò rem in reſponſione ad *propoſitiones Doctoris cuiuſdam Veneti* expreſsiùs agit, ſcilicet *Paulum fuiſſe coactum appellare ad Cæſarem, eumque pro iudice ſuo agnoſcere de facto non de iure, tunc enim Diui Petri poteſtas non agnoſcebatur nec credebatur, atque ideo ſi Paulus dicere voluiſſet, non cognoſcere ſe alium iudicem quam Chriſti Vicarium, riſum mouiſſet Iudæis, à quibus erat accuſatus, & gentilibus, à quibus erat iudicandus, & ita ipſemet dicit, coactus ſum appellare Cæſarem.*

Et meritò quidem nobis riſum mouet iſta reſponſio. Quaſi verò non maximè ridiculum ſit Petrum à Deo ſupremum mundi Iudicem conſtitutum, & tamen eo loco poſitum eſſe vt ridiculum eſſet ad eius iudicium appellare. Quid enim? An Petrum credimus circumeuntem vrbem Romanum, & Imperatorum ibi ſplendores & magnificentias intuentem, ſubmurmurare ſibi ſolitum? Mea

iure ſunt iſta omnia, quibus illi ſe tam magnificè oſtentant; ergo hic abiectus & inops humi deambulo, qui ſum tamen ſuperior Cæſaribus iſtis, & Mundi Monarchis, & eo loco poſitus vt deturbare illos de imperio, & vniuerſo iſto ſplendore poſſim exuere? Meum eſt ſatellitium hoc omne, & quicquid videtur eſſe regale; ego adorandus ab omnibus, & humeris hominũ circumferẽdus: Ego regnorum omnium dominus & mundi ſupremus Iudex, ad quem ex toto terrarum orbe appellationes concipiendæ ſunt: ſed per iniuriam ab hominibus ſceleratis, & incredulis, hæc omnia occupantur; & ego à iure meo excluſus ſum. Ecquis tam inſanus eſt, vt Petrum credat in illa humilitate tam ſtolida iſta figmenta meditari voluiſſe? *Fruſtra* verò *potentia illa*, & proinde nulla eſt *quæ nunquam reducitur in actum*. Ementita ergo & nulla eſt potentia illa omnis, qua Petro ſupremum ſupra Reges tribunal aſſeritur, quia in Petro nihil vnquam tale compertum eſt, immò quod ſi Paulus commeminiſſet, meritò videretur rideri potuiſſe. Quanquam non debuit ille propter hominum riſus, à iure Petri vindicando temperare. Certè enim quos Chriſti non puduit, eos pudere non debuit Vicarij Chriſti, & qui reliqua fidei capita euulgare ſuum eſſe iudicarunt, quo iure tacerent vnum hoc quod Bellarminus epiſtola ad Archipresbyterum vnum eſſe dicit, *ex præcipuis fidei capitibus & religionis catholicæ fundamentis.* Non *erubeſco*, inquit, *Euangelium Chriſti, quia potentia &c. Rom.* 1. *Prædicatio crucis gentibus ſtultitia eſt, &c. Nos tamen prædicamus Chriſtum ſtultitiam &c.* 1. *Corinth.* 1. Monet ille Timotheum, *Ne erubeſcas teſtimonium &c. Neque me captiuum eius.* 2. *Tim.* 1. An ergo Paulum Petri propter ſortem illam tam humilem pudere debuit? Qui ſtultitiæ probrum in Chriſto prædicando non eſt veritus, an illud vereri potuit in Petro abſque quo non conſtaret Eccleſia Chriſti; cui tamen optimè illud compertum erat, *ſtulta Dei ſapientiora ſunt hominibus*, quod ibidem Apoſtolus teſtatus eſt. Atqui verò maieſtas iſta Petri non in *ſtultis illis* reperitur, quæ Deo probata ſunt, ſed in hominum ſapientijs, quas

ſapientia

ſapientia diuina damnauit, quippe quæ ex *ſapientiæ* verbis nullum omninò firmamentum nacta eſt. Immo nec eam filij ſapientiæ comprobarunt, quibus de celſitudine iſta Romani Pontificis & infinita imperij poteſtate ad mille vſque annos nihil auditum eſt. Iam verò ridiculum dogma dicendum eſt, quod nulla vnquam fidei profeſsione, nullo Chriſtianæ religionis apologetico ſcripto ad mille vſque annos vel eminus quidem ſignificatum eſt. Cæterùm hoc eſt quod in hoc loco maximè animaduerſum eſſe cupio; in vna eademque editione repudiari altero reſponſo ius illud quod altero comprobatum eſt. Aut ſi ibi non ſatis apertè repudiatum, videte in operum Recognitione quid ſcribat de priore illa reſponſione: *Non probo* inquit *quod dixi eo loco cum Alberto Pighio Sanctum Paulum appellaſſe ad Cæſarem tanquàm ad legitimum ſuum Principem; nam ſi ratio exemptionis Clericorum eſt*, quia *miniſtri ſunt Chriſti, qui eſt Princeps Regum terræ & Rex Regum, certè ſunt exempti de iure non ſolum à poteſtate Principum Chriſtianorum, ſed etiam Ethnicorum.* Nempè offenderat Sixtum Quintum dicendo Pontifices olim Cæſari *de iure* in ciuilibus cauſis fuiſſe ſubiectos, quod ille ita ægrè tulit, vt animus eſſet Bellarmini libros in *Indicem librorum prohibitorum* referre. Qui idem quoque Pauli quinti animus fuit niſi ille facilem ſe præbuiſſet ad palinodiam vt Boſio, Martæ, Carerio Zechio, Maurino alijſque eiuſdem farinæ Pontificiæ omnipotentiæ propugnatoribus conformem ſententiam promulgaret. Per quos noui iam Chriſtianiſmi dictatores factum eſſe credendum eſt, quod idem Bellarminus in Recognitione *lib. de Concil.* & Eccleſia profitetur, qui cum dixiſſet cap. 13. *Pontificem olim ſubiectum fuiſſe Imperatoribus* tanquam Dominis ſuis temporalibus exponit iam intelligendum *de facto, non de iure*; Rationem autem huius mutationis vt ſciamus, addit in fine; *Authoritas Pontificis paùlatim magis ac magis declarata eſt.* Ergo iam ſciendum eſt ex quo opera ſua Bellarminus primò edidit, ſuperueniſſe Romæ nouam lucem, qua multo fœliciùs & vberiùs quàm vnquam ante Pontificiæ poteſtatis amplitudo intellecta

tellecta eſt. Ignorarunt illá Petrus, & Paulus, & qui illos Epiſcopi ad mille vſque annos conſecuti ſunt, quouſque ſomniauit illam tandem Hildebrandus ex quo iactata res ſubinde, ſed haud ſatis plenè declarata, donec illis quos ante dixi authoribus didicit illam ſeneſcens iam ferè ad delirium vſq; Cardinalis Bellarminus. Cæterùm ab eo quod dicimus exemplo manifeſta res eſt quam agimus. Sumo enim quod habet Carerius, *Summum imperium penes eum eſſe conſtat ad cuius tribunal prouocatur*. Atqui ab Apoſtolo Paulo prouocatur ad tribunal Cæſaris. Itaque penes Cæſarem, etiam in Apoſtolos ipſos ſummum imperium agnoſcendum eſt. Friuolum eſt autem quod excipit Bellarminus Paulum coactum feciſſe quod fecit, certè enim nunquam vir bonus niſi coactus litem facit, tantúmq; alienarum iniuriarum importunitates & vexationes, cauſas ad tribunalia deferendo, propulſat: Alterum verò illud, agnouiſſe Iudicem Cæſarem *de facto tantùm non de iure*, præterquam quod ab ipſo ſuffragante quoque Carerio reprehenditur, ipſis certè Apoſtoli verbis prorſus exploditur. *Sto*, inquit, *ad tribunal Cæſaris vbi oportet me iudicari*, Nam vbi oportuit Apoſtolum iudicari, ibi de iure ſubiectus erat iudicio. Oportuit ad Tribunal Cæſaris iudicari. Iure ergo Cæſari tanquam ſummo Iudici ſubiectus eſt. Atque appellationem quidem hanc ratam habuit Deus, qui miſſo Angelo Paulum tempeſtate periclitantem conſolatur, *Ne metuas Paule: quia oportet te Cæſari ſiſti*, cuius certè rei mentionem non feciſſet, ſi contra ius Apoſtolus pro Petro Cæſarem, ne ſcilicet riſum circumſtantibus moueret, iudicem ſibi ſubſtituiſſet. Atqui de veritate Bellarminianæ diſtinctionis quo tandem argumento certi eſſe poſſumus? Appellaſſe Cæſarem manifeſtum eſt; non feciſſe *hoc de iure*, quî nobis conſtare poterit? Quâ ſcripturarum; quâ Patrum, vel Conciliorum authoritate nos inducit vt aſſentiamur? Quin potius redarguit commentum hoc veteris Eccleſiæ conſuetudo, qua ſemper ſeruatâ iuridicâ formâ Cæſarem appellandi; appellaſſe verò quenquam à Cæſare ad Pontificem nunquam auditum eſt; ne à Iuliano quidem, aut

De poteſt. Rom. Pontif. l.1.c.10.

Con-

Conſtantio, aut Valente, aut quoquam alio; vt mihi planè monſtrum eſſe videatur Pontifici à Chriſti vſque tempore ſubordinatum eſſe Cæſarem, nec tamen formam iuris vnquam auditam eſſe, qua à Cæſare ad Pontificem appellatum ſit. Quàm verò mirum eſt, quam incredibile, ſi verum ſit quod illi tam inſolenter ſibi vendicant, neminem vnquam in Theologis, neminem in Politicis in Iureconſultis in Hiſtoricis inuentum eſſe, qui prærogatiuam hanc Epiſcopo Romano aſſeruerit, qua ad forum illius ſuprema omnium appellatio concipienda ſit. Immò iterum mirum neminem ex Imperatoribus Chriſtianis extitiſſe, qui vel ius hoc appellandi ad Pontificem intellexerit vel intellectum putauerit concedendum & lege vindicandum, ne tum quidem cùm tamen completum eſſe decernunt ipſi quod à Propheta prędictum eſt; *Erunt Reges nutritÿ tui, &c.* Illuſtris eſt hac de re hiſtoria Donatiſtarum apud Auguſtinum epiſt. 68. qua conſtat ita longe abſuiſſe vt à Cæſare prouocatio fieret ad Pontificem, vt potius appellatus Cæſar Conſtantinus Magnus Metriadem Romanum Epiſcopum Commiſſarium ſibi deputarit, qui cum adhibitis collegis Cæciliani cauſam ad ſe delatam cognoſcerent, & iudicio terminarent. Cuius Delegationis literæ leguntur ad verbum expreſſæ apud Euſeb. hiſt. lib. 10. cap. 5. & apud Niceph. hiſt. lib. 7. cap. 43°. Sed illud ibi maximè animaduertendum eſt, poſtquam in illo iudicio Cæcilianus abſolutus, & innocens ab Epiſcopis pronunciatus eſt, Donatiſtas, *Neque rectè iudicatam cauſam, neq; omninò auditam eſſe conqueſtos*, eóque prætextu Imperatorem appellatione noua pertentaſſe, qua factum eſt: vt cauſam ille alijs Epiſcopis & nouo iudicio in Arelatenſi Galliæ ciuitate cognoſcendam daret. Poſtquam verò nec illa auditione acquieſcerent, iterum rem appellatione tertiâ delatam Imperatori, & ab ipſo audientiam & cognitionem obtinuiſſe, qua homines impudentiſsimè importuni cauſâ ceciderunt & ab Imperatore damnati ſunt vbi quia Romanus Epiſcopus non niſi delegatus ab Imperatore Iudex erat, à quo iterum ad Imperatorem prouocari potuit, liquidò conſtat ſupre-

mum fuiſſe forum Cæſaris; ab omnibus ad illum, ab illo ad neminem appellari potuiſſe. Quod clariſsimè nos docet Athanaſ. ad Conſtant. *Apolog.* vbi ita Imperatorem alloquitur. *Si apud alios accuſatus eſſem, ad tuam maieſtatem prouocarem, quemadmodum Apoſtolus dixit, Cæſarem appello & ceſſatum eſt ab inſidijs contra eum, iam cum apud te calumniam mihi auſi ſunt intentare, ad quem a te, quæſo, appellare potero, niſi ad Patrem eius qui dicit, Ego ſum veritas.* Quibus verbis apertè probat factū Apoſtoli, & imitandū in cauſâ ſuâ proponit, & diſertè docet vltra Cæſarem non eſſe ad quem appellatur præter ſolum Deum. Ex quo manifeſtum eſt non ſine ſummo ſcelere atque perfidiâ commentum illud excogitatum eſſe à Bellarmino. Paulum appellaſſe Cæſarem de facto tantum, non de iure.

IIII. Verùm hæc reſponſio paulò adhuc penitiùs inſpicienda eſt: nam ſi appellauit Apoſtolus de facto tantum, non de iure, contra ius fecit, & poſtulandus de iniuria fuit. Quæ namque in actione iuris fiunt, non de iure, fieri contra ius, & per iniuriam intelligenda ſunt. Et quidem *qui facit contra debitum Iuſtitiæ* vt habet Aquinas, *mortaliter peccat.* Pertinet autem ad debitum Iuſtitiæ cuique, vt ſuperiori ius ſuum ſeruetur illæſum. At qui ius ſuum ſuperiori non ſeruat, qui pro vero Iudice alium ſubſtituit, quod facit quiſquis non Iudicem appellat. Quare rectè pater *Paulus Venetus, mortale peccatum eſt*, inquit, *appellare eum qui poteſtatem legitimam non habet.* Quin & Canonico iure ſancitum eſt, *Omninò puniendum eſſe cuius appellatio pronunciatur iniuſta. 2. q. 6. c. omnino Greg. val. Tom. 3. diſ. 5. q. 13. pag. 3.* Quid enim hoc aliud eſt, quam calumnioſè, hoc eſt, authore Aquinate aſtutiâ, & doloſè defendere, quod nunquam licere ipſe pro conceſſo habet; *Eſt enim aſtutia*, inquit *ille, vbi quis non veris vijs, ſed ſimulatis, & apparentibus vtitur ad finem aliquem conſequendum ſiue bonum, ſiue malum*; vtitur autem ad defenſionem ſuam non *veris viis* ſed *ſimulatis* & *apparentibus*, qui prætextu iuris non iudicem appellat. Paulus ergo appellando Cæſarem aſtutus & doloſus, ſi Bellarmino credimus, & eo ipſo mortaliter peccaſſe

22. q. 69. ar. 1. in corp.

Conſider. P. M. Pauli pag. 122.

22. vt ſup. art. 2. ob. 3. 22. q. 55. art. 30.

cenſen-

cenſendus eſt. Atqui non peccauit in eo Paulus, non fecit contra debitum iuſtitiæ, non eſt vſus aſtutiâ, & dolo, (vbi frons illa tam effrons quæ dicere illa non erubeſcat?) ſed ritè ac iure Cæſarem tanquam ſuperiorem ſuum, & iudicem appellaſſe credendus eſt. Supremum ergo eſt poſt Deum tribunal Cæſaris, nec eſt in terris qui iudiciorum illius rationem repoſcat. Quod ſi admiſiſſe illa omnia dicatur, ne riſum *moueret Iudæis, & Gentibus*, quod Bellarmino viſum eſt, ſequetur ad vitanda profanorum hominum ludibria, & riſus licere prodere veritatem, præuaricari iuſtitiam, tribunalia vera ſubuertere, falſa ſupponere, denique iuris ordinem omnem ſubterfugiendo, & calumniando perturbare. Quodſi abſurdum, & impium eſt, Cardinalis hîc inſulſus nugator eſt, & meritò ipſe ridendus, & explodendus, qui Paulum Petro iniuriam facere quam ab impijs rideri maluiſſe defendit.

Atque huiuſmodi plerumque Bellarmini ſolutiones ſunt, de quo vſurpari veriſsimè poteſt quod dixit Tertullianus de Marcione, *Dedecus ſuum ingenio obumbrat*, qui cum cauſas vbique ferè peſsimas tueatur, & impiorum dogmatum patrocinio veriſsimum ſe Satanæ, atque Antichriſti ſatellitem præbeat, agit tamen ingenio vt ſpecioſis coloribus inducat omnia, & diſtinctionum præſtigijs, & vmbris eludat ea quæ ſolidiſsimâ veritate conſtituta ſunt. Et mirum quidem eſt quàm ille nonnunquàm ſe torqueat, quàm miſerrimis ſubterfugijs vti cogatur, quam vim Scripturis, Patribus, Conſilijs inferat, quos ſenſus Scripturis imponat, quibus neque ſcriptura ipſa fidem facit, nec vlla Patrum, vel conciliorũ antiquorum authoritas momentũ dat. Quali verò conſcientiâ ſe geſſerit in cæteris fidei controuerſijs, vel hæc vna Principum cauſa luculenter oſtendit, in quâ tantâ cum perfidiâ, & impudentiâ rem agit vt ſuis quoque hominibus odio eſſe cœperit, & damnentur paſsim libri eius, & doctorum hominum ferè propudium factus ſit. Ex quo ſatis apertum eſt in reliquis diſputationibus non conſcientiâ & ſtudio veritatis, ſed malitioſâ repugnandi libidine & Monarchiæ Pontificiæ ſuſtentandæ cauſâ, eodem animo quo o-

lim Iudæorum Pontifices, & Phariſæi pro rebus ſuis aduerſus Chriſtum aſsiduè dimicarunt elaboratum ab illo eſſe. Sed Deus veritatem ſuam magis magiſque patefaciet, & ſubinde ſuſcitabit qui Principibus ius ſuum aſſerant, qui poſtquam intellexerint qui & quo loco ſint, & ſupremam ſecundum Deum religionis ipſius procurandę poteſtatem ad ſe pertinere ſenſerint, communi conſilio Antichriſtum illum Romanum animarum carnificem, & coniuratos eius explodent; & in meretricem illam fœdiſsimam atrociſsimas illas, quas minitatus eſt Deus, vltiones & iras exequentur.

Atque hactenus pro ſupremâ in omnes animas Regum poteſtate è ſcripturis actum eſt, tantum vt abſolutè Principes ſecundum Deum ſummo loco eſſe doceamus, quorum poteſtas, quatenùs ſe ad res ſacras, & religionis negotium extendat poſteà dicendum eſt, ſequitur interim vt ex rerum praxi & vſu antiquo veriſsima eſſe comprobemus, quæ hactenus dicta ſunt; id quod proxima lectione (Deo volente) cœpturi ſumus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIO SEPTIMA.

I. *Oſtenditur Pontifices Romanos tribus primis ſeculis humillimum erga Principes obſequium, non verbo tantum, ſed reipſa & facto teſtatos eſſe.* *Paragraph.*

II. *Proponitur Bellarmini reſponſio ad prædictam inſtantiam viz. Pontifices illorum temporum nihil in Imperatores tentaſſe, quia deerunt illis vires temporales.*

III. *Refellitur hac Bellarmini reſponſio, & diſertis Patrum teſtimonijs docetur non defuiſſe illis vires, ſed voluntatem repugnandi.*

IIII. *Nouum Sculkenij ſubterfugium conuellitur.*

V. *Argumentum Bellarmini, quo confirmare conatur, primæua Eccleſia Chriſtianos ſi vires ijs adfuiſſent, reges deponere potuiſſe, profligatur.*

VI. *Aſtruitur poteſtas ſuprema Regia exemplis Pontificum poſterorum ſeculorum.*

VII. *Bellarmini reſponſio ad Gregorium, ex epiſtolis Gregorij refutatur.*

Ictum eſt hactenus è Scripturis ſecularium poteſtatum ſupereminentiam illam eſſe cui omnis anima ſiue Pontifex ille ſit, ſiue Propheta, ſiue Apoſtolus, ſiue quicunque alius in ſacro miniſterio conſtitutus ſubiectionis & obedientiæ officium præſtare debeat. Supereſt iam vt ex vſu Eccleſiæ tantummodo conſtare faciamus, vt extra controuerſiam res eſſe ſciatur, poſtquam ad ſcripturarũ oracula & ſanctorum Patrum expoſitiones exempla quoque porrò accedunt, quę tanquam viua quadam imagine commonſtrent quàm ſanctè præcepta illa de obſeruantia in Principes habenda in Eccleſia ſeruata ſunt. Neque hic verò exſpatiari per orbem terrarum opus eſt hoc vno cauſam obtinebimus ſi docuerimus Romanos ipſos Epiſcopos priſcis illis verè Chriſtianis temporibus ſuum erga Principes obſequium humillima officij recognitione, nec verbo tantum, ſed reipſa & facto teſtatos eſſe. Atque occurrit hic primo purpurata illa & I

continuis ſanguinibus conſperſa trium ſeculorum Hiſtoria, qua Epiſcopi Romani ita Imperatorum poteſtati ſubiecti erunt, vt ad Syluestrum vſque omnes triginta certè aut plures continenter occiſi ſint, nunquam interim auditâ voculâ de ſuperioritate Romani Pontificis, & poteſtate illâ infinitâ, qua Deo immediatè ſubordinatus cogere in ordinem Imperatores, & ſæuiſsimos tyrannos in Eccleſiam graſſantes exuere dignitate, & de Maieſtatis faſtigio deturbare poſſe, defenditur. Nulli tunc inuenti per Pontificem Albiniani, vel Nigriani, vel Caſsiani; quemadmodum appellat Tertullianus, qui illius freti authoritate & imperio proditorijs conſilijs inſidias Principibus ſtruere, petere capita ſicariatu, vel aperto Marte, aut occultâ & clanculariâ proditione tentare licere rati ſunt; Non dico tantùm non tentaſſe, ſed nunquam ſonuiſſe in Eccleſia doctrinam illam, tentare licuiſſe, vel pertinuiſſe iure ad Romanum Epiſcopum ſententiâ ſuâ Principes exauthorare, ſubditos obedientiæ vinculo ſoluere, ſicque auertere ab Eccleſia peſtem hanc.

II. *De Rom. Pont. lib. 5. cap. 7.* Inſtantiam hanc tam claram & luculentam, Bellarminus manifeſto mendatio ludificari conatus eſt. *Si Chriſtiani*, inquit, *olim non depoſuerunt Neronem, Diocleſianum, & ſimiles, hoc erat, quia deerant vires temporales Chriſtianis.* *Apolog. pro Bellarmino. p. 49. & Bellarm. cont. Barcla. cap. 3. pag. 58.* Sculkenius paulò latiùs rem agit; & *quod ante Gregorium Magnum*, inquit, *nemo Pontificum legatur vllum Regem depoſuiſſe, non eſt factum quod ij Pontifices ea poteſtate non fuerunt præditi, aut eâ ſe præditos ignorauerint, ſed vel quia Reges erant valdè pij & religioſi, vt Conſtantinus magnus, Conſtans, Iouinianus, & alij, erga quos Eccleſia beneuolentiam, non ſeueritatem oſtendere debuit, aut ſi erant impij & blaſphemi, erant ij ita potentes, Eccleſiæ contra tam exiguæ vires, vt potius patientiam quàm ſeueritatem adhibere debuerit; vel demum quia ſic placuit Deo, cuius iudicia inſcrutabilia ſunt, & à cuius ſpiritu Eccleſia docetur, quo loco & tempore poteſtatem ſuam exercere debuit.*

III. Vbi primò de bonis Regibus deponendis otioſè ſermonem facit, quia eâ de re prætextus nullus eſt. Quanquàm Pontifici Romano Gnathones iſti poteſtatem illam attribuunt,

attribuunt, quâ Principes etiam non malos, immò pios forſitan, & religioſos imperio deturbent, eò tantùm nomine, quòd inutiles ſcilicet & deſidioſi eſſe dicantur, *vt Chilpericum Francorum Regem, &c.* Quod autem cum Bellarmino dicit; malos & blaſphemos ideò non depoſitos quòd vires & potentia deeſſent, impudentiſsimo cum mendacio coniunctum eſſe certiſsima temporum illorum hiſtoria conuincit. Atque apertiſsimè quidem Tertullianus; *Vel vna nox pauculis faculis largitatem vltionis poſſet operari ſi malum malo diſpungi penes nos liceret; ſed abſit vt aut igni humano vindicetur diuina ſecta, aut doleat pati in quo probatur. ſi enim hoſtes extraneos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum; plures nimirum Mauri, & Marcomanni ipſique Parthi, vel quantæcunq; vnius tamen loci & ſuorum finium gentes quam totius orbis? Externi ſumus & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatiũ, Senatũ, forum; ſola vobis relinquimus templa; cui non bello idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copijs qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret quam occidere?* Attendite verò hîc quàm expreſſè Tertullianus commentitium illud Bellarmini ſuffugium intercipiat. Bellarminus *deerant*, inquit, *vires*; Tertullianus, *Non deerat*, inquit, *vis numerorum & copiarum. Exiguas Eccleſiæ vires & non ita potentes*, affirmat Sculkenius; *Nulli bello non Idoneos; non impares copijs* affirmat Tertullianus; Atque hoc quoque teſtatur Auguſtinus. *Neque tunc*, inquit, *ciuitas Chriſti, quamuis haberet tam magnorum agmina populorum aduerſus impios perſecutores ſuos, pro temporali ſalute pugnauit, ſed potius vt vitam obtineret æternam, non repugnauit.* Non deerant ergò illis agmina populorum per quos vitam ſuam tueri potuiſſent, ſed deerat repugnandi voluntas, ne illa Chriſti præcepto contraueniens vitę æternę obtinendæ impedimento eſſet. Mendaciſsima ergo eſt Bellarminiana illa veteris Eccleſiæ detractio, qua credi vult non defuiſſe illi ad deponendos Reges voluntatem, non poteſtatem iuris quâ hoc liceret, ſed tantummodo poteſtatem

Harris pag. 18. lib. de iuſta abdicat Hen. 3.

Apologet. c. 37.

De Ciuit. Dei lib. 22. c. 6.

Digitized by Google

teſtatem facti quâ penes eſſet exequi quod licere non ignorauit.

Sed eſto quod ait, defuiſſe poteſtatem facti, ſaltem tamen poteſtatem iuris celare non debuit. Quin potius ad commendationem Chriſtianę religionis prædicari oportuiſſet, Pontificem Romanum quanquam poteſtate illa præditum quâ Imperatorem ſpoliare purpura & maieſtate priuare iure poſſet, malle tamen per manſuetudinem & patientiam ſubire furores eius, & ſæuitias, quàm vim vi epellere, vitamque hanc temporalem pugnando defendere conari. Itane vt nemo per illa tempora Romanus Epiſcopus authoritatem ſibi à Chriſto creditam profitendam cenſeret? Itáne omnes proditores iuris ſui & Chriſti? Refert Matthæus Paris Innocentium quartum in Concilio Lugdu. poſtquam ſententiam deponendi Frederici promulgaſſet, in hæc verba locutum eſſe; *Ego quod meum eſt feci, faciat vt proſequatur Deus ſuper his quod voluerit.* Cur illi non fecerunt quod ſuum erat, cætera Deo commiſerunt? An verò fas eſt in cauſa Eccleſiæ tam negligenter omittere quod officij tui eſſe conſciſcis? An impunè cuſtodes ſilent, dum gregem Dominicum lupi prædantur, dum vineam apri depopulantur? *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* An multum illis periclitari de ſententia, quibus nomine ipſo fidei Chriſtianæ periculum aſsiduè ſuſpectum eſt? Hic conſtrictum habeo Bellarminum, quia nulla ratio occurrit cur in tanta Eccleſiæ ſtrage, in tam immani atque inſana miſerorum hominū laniena & carnificina, Epiſcopi Romani temperandum ſibi iudicaſſent, ſi ſuum eſſe ſtatuiſſent cæleſti decreto firmatum, tyrannorum impetus & furores ſuprema illa ſibi tradita poteſtate cohibere.

In Hen. 3. Anno 1245.
Bellarmin. cont. Barcla. c. 7.

IV. Sed hic tamen exitum ſibi fingit Sculkenius tertiâ illâ quam aſsignat ratione, *Sic placuit Deo cuius iudicia &c.* Hic ſubſtitiſſet. Rectiſsime ſiquidē narrat, *ſic Deo placuiſſe.* Nempè ita Deo placuit, nequid Epiſcopi, nequid fideles Chriſtiani contra Reges etiam perſecutores ſibi tentandum exiſtimarent; quin potius obedientiam patientiâ munirent, neque iugum quouiſmodo detrectarent, quod

Deus

Deus ad fidei probationem imponendum cenſuiſſet. Sed aliud quiddam ille vult, quod Deo tum non placuit, poſterioribus tamen ſæculis placuiſſe; quippe *ſpiritu ſuo docuiſſe Eccleſiam quo loco, & tempore poteſtatem ſuam exercere deberet*. Ita veterum hæreticorum ſacrilega perfidia ſpiritum veritatis ſceleris illius authorem, & conſultorem facit, quod nonniſi à ſpiritu mendatiorum, impio Satanæ ſpiritu, & à belluino, atque immani Pontificum furore profectum eſt. Enimuero certiſsima eſt hic Chryſoſtomi regula; *Si quis eorum qui dicuntur habere ſpiritum ſanctum ex ſeipſo loquitur, & non ex Euangelijs, ne credite: vbi legiſti hæc*, inquit. *Ex quo non legit hæc ſcripta ſed ex ſeipſo loquitur, manifeſtum eſt, quod non habet ſpiritum ſanctum.* *De Sanct. & adorand. Dei ſpiritu.* Oſtendat ergo nobis Sculkenius Eccleſiam ex Euangelio doceri poteſtatem hanc. Oſtendat ex Euangelio diſtinctionem illam temporum, ex qua iam placere Deo ſentiamus, quod olim non placuit, ſiue non placere iam quod placuit olim. Placuit olim ne Eccleſia in Principes rebellis eſſet; idque conſtat ex Euangelio placuiſſe. Faciant verò tandem ex Euangelio conſtare placere iam vt ſit; placere iam vt Pontifex Cæſare ſuperior imperium ei, vbi videtur, abroget; placere iam, vt quod olim Diabolus Chriſto per fraudem obtulit, hoc Pontifici Romano ratum eſſe iubeat, *vt penes illum ſint omnia regna terræ & gloria eorum*; vt ædificet, plantet, euellat, deſtruat prout ille communibus cauſis expedire iudicarit; quod quia oſtendere non poteſt, nequiſsimus impoſtor eſt, & improbo mendacio à ſpiritu fingit Eccleſiam doceri contra id quod citra controuerſiam authore ſpiritu in Scripturis edocta eſt. Cæterùm hac occaſione occurrit mihi in memoriam quod ad tegendas vertigines ſuas Bellarminus tam lepidè narrat, qui dixerat primo Petrum non de facto tantum, ſed de iure Cæſari fuiſſe ſubiectum, poſt in Recognitione, *de facto tantum* ait, *non de iure*, & vt mutatæ ſententiæ rationem reddat, *Pontificis*, inquit, *authoritas paulatim magis magiſque declarata eſt*. Nempè poſt mille ſexcentos annos ſuperueniente Romæ nouâ luce didicit Bellarminus de Pontificis poteſtate, quod Eccleſiæ ad il-

la vſque tempora minus exploratum eſt. Ita nempè fatentur noua iſta eſſe quæ docent, quæ hoc ipſo nomine repudianda nobis ſunt, quibus nimirum illud Ambroſij
De virgin. ſemper ſacrum eſt; *Nos noua omnia quæ Chriſtus non docuit iure damnamus, quia via fidelibus Chriſtus eſt.*

Denique minime prætereundum eſt quàm ſcitè Sculkenius pro Pontifice ſubſtituat Eccleſiam, *Deus*, inquit, *ſpiritu ſuo docuit Eccleſiam &c.* quæ tamen poteſtas non Eccleſiæ, ſed Pontificis eſſe defenditur; eâdem certè fraude, qua ſolent Eccleſiæ priuilegia relegare Pontifici quaſi ille totius Eccleſiæ inſtar ſit: viderat ille aliquid in Scripturis de Eccleſia per ſpiritum edocendũ, de Pontifice ne verbum quidem: Sed tamen vt Pontificem nitidè conueſtiat, non abſque indigniſsimâ contumeliâ Eccleſiæ plumas ſuas aufert, vt ſub Eccleſiæ nomine ſolus ille habeat, quod communiter toti Eccleſiæ conſultum eſt.

V. Verùm mittamus iſtas inſulſi hominis ineptias, & breuiter videamus quo argumento confirmet Bellarminus veteres Chriſtianos, ſi vires adfuiſſent, Reges ſuos deponere potuiſſe. Qua de re ita ſubiungit ad id quod ante dictum eſt. *Nam quod alioqui iure potuiſſent id facere, patet ex Apoſtolo 1. Cor. 6. vbi iubet conſtitui à Chriſtianis nouos Iudices temporalium cauſarum, ne cogerentur Chriſtiani cauſam dicere coram Iudice Chriſti perſecutore, ſicut enim noui iudices conſtitui potuerunt, ita & noui Principes & Reges propter eandem cauſam, ſi vires adfuiſſent.* Vbi mirum eſt videre veteratorium, & perfidum huius hominis in Scripturis tractandis ingenium. Quis enim vnquam locum illum Apoſtoli hoc ſenſu interpretatus eſt? Monet Apoſtolus Corinthios pro ſcandalo vitando, ne apud infideles conflictationes haberent forenſes, quas neceſſe eſſet in probrum Chriſtianæ Religionis & contumeliam redundare potius ergò priuatim apud ſe Arbitros conſtituant, viros, quoad fieri poſſet, prudentes, & graues, qui lites placidâ, atque amicâ tranſactione componerent, & abſque publicâ offenſâ terminarent. Quid hoc ad depoſitionem Iudicum infidelium? quid ad authoritatem illis abrogandam,

abrogandam, à quibus ſcilicet vocati, nihilominus ad eorum tribunalia comparere tenebantur? An quia Statutis alicubi cautum eſt, ne quis collegam vel conſocium in ius vocet, ſed inter priuatos parietes controuerſiæ finiantur, eò magiſtratuũ, eò Cancellarij diminuitur authoritas, vel nulla eſſe iubetur? Litem habent Titius, & Sempronius de pecuniâ. Interponit ſe amicus quiſquam, & monet quam inhoneſtum vtrique ſit, vt inter ſe fratres in foro digladientur: decere potius, vt ad ſequeſtre amicorum iudicium contentio referatur; an eò magiſtratus deponunt? An aliquid à publicâ Iudicum poteſtate decedit? Atqui verò ne multum vobis hac de re moleſtiæ faceſſam, arbiter eſto huius cauſæ Thomas Aquinas, qui in hunc Apoſtoli locum obiectionem proponit, & eidem reſpondet in hunc modum, *Hoc videtur eſſe contra id quod* *Tho. Aquin. in 1. Cor. c. 6. lect. 1* *dicitur 1. Pet. 2. ſubditi eſtote &c. pertinet enim ad authoritatem Principis iudicare de ſubditis; eſt ergo contra ius diuinum prohibere quod eius iudicio non ſtetur, ſi ſit infidelis, ſed dicendum,* inquit, *quod Apoſtolus non prohibet quin fideles ſub infidelibus Principibus conſtituti eorum iudicio compareant, ſi vocentur: hoc enim eſſet contra ſubiectionem quæ debetur Principibus: ſed prohibet quod fideles eligant voluntariè infidelium iudicium.* Ex quâ reſponſione manifeſtum eſt, Apoſtolum nihil minus in animo habuiſſe quam Iudicibus infidelibus derogare; tantummodò id curaſſe ne quid religioni officeret Chriſtianorum apud illos concertatio; proinde apud ſe haberent, qui cauſas ſuas per charitatem inſpicerent, & appenderent, liteſque expedirent; non ciuili aliquâ authoritate, ſed Eccleſiaſticâ pietate; non ſeculari iuriſdictione, ſed æquitate Chriſtianâ. Quid ergo vult iam Bellarminus vt quemadmodum in cauſis priuatim arbitri fieri poſſunt abſq; derogatione magiſtratuum publicorum, ita quoque priuatim Reges conſtitui potuerint abſque imminutione iuris Regum; Quam hoc ineptè, quàm ſtultè concluditur; potuerunt hoc modo Iudices conſtitui; potuerunt ergo pariter & noui Reges. Certè Iudices tantummodo ad cauſas Iudices ſunt: Reges verò etiam extra cauſas Reges ſunt. Cauſæ penes il-

los ſunt quorum cauſæ ſunt, vt remittant actiones in iniurias ſuas, regnorum alia ratio eſt, vt nemo ſibi vel alteri remittere officium poſsit, nemo arbitrio ſuo decernere velitne an nolit in ſubditis numerari, qui certè ortu ipſo ſubditus & ciuis eſt; vt non abſque inſcitiâ, aut certè impudentiâ ſingulari iſta inter ſe comparata ſint.

VI. Iam verò poſtquam vidimus nihil vnquam aduerſum Principes miſerimis illis trium ſeculorum temporibus à Romanis Pontificibus tentatum eſſe; diſpiciamus porrò poſtquam pax Eccleſiæ data eſt, ſequentes Epiſcopi erga Principes Chriſtianos qua ratione ſe geſsiſſe reperiantur. Ac primo loco Leo nobis occurrit, primus ille, vir ingenti animo, vt quiſquam ferè veterum, ad exaltationem ſedis ſuæ fere ad blaſphemiam vſque in Deum deuotiſsimus, qui tamen quam Imperatori obſeruantiam præſtiterit, dignum eſt vt videamus. Nempè cum aduerſus Eutychem Concilio opus eſſet, ita ſcribit ad Theodoſium Auguſtum. *Si pietas veſtra ſuggeſtioni, & ſupplicationi noſtræ dignetur annuere, vt intra Italiam haberi iubeatis Epiſcopale Concilium, citò auxiliante Deo poterunt omnia ſcandala reſecari.* Non iubet ipſe ſed per ſupplicationem agit cum Imperatore, vt ipſe iubeat, & quidem vt *dignetur annuere ſupplicanti.* Sed tamen non annuit Imperator, immò Concilium Epheſi conuocauit, quod ſecundum illud fuit profanum ac prædatorium: eò Leoni quoque proficiſcendum fuit; excuſat ipſe abſentiam ſuam, ſed tamen, inquit, *ſtudium meum commodaui, in quantum dominus iuuare dignatur, vt clementiæ veſtræ ſtatutis aliquatenus pareatur, ordinatis hinc fratribus meis qui amputandis ſcandalis pro cauſæ æquitate ſufficiant; quique præſentiæ meæ impleant vicem.* En vt Imperatorijs Statutis parendum ſibi eſſe ſentiat, quod certe Imperatore ſuperior non ſenſiſſet. Cedente verò in malum illo Concilio, idem agit per interceſſores, Clerum ſcilicet & plebem Conſtantinopolitanam pro altero Concilio conuocando: *Humiliter*, inquit, *& ſapienter expoſcitur, vt petitioni noſtræ quâ plenariam indici Synodum poſtulamus clementiſſimus Imperator dignetur annuere.* Et iterum ipſe ad Theodoſium: *Omnes*

[Margin: Epiſt. 9. — Epiſt. 16. — Epiſt. 22.]

partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus, & lachrymis ſupplicant Sacerdotes, vt generalem Synodum intra Italiam celebrari iubeatis. En vt omnia humilitatem ſonent, & ſubmiſsionem, vt nihil hic minùs quam ſuperba illa Pontificis in Principes maieſtas exiſtimanda ſit. Quam ſæpè verò Imperatorem Pulcheriam Auguſtum ſibi in auxilium vocat, vt per eam obtineat, quod per ſe non poſſet, vt vel hinc intelligatur quàm ille nihil in Imperatorem authoritate poſsit, ſupplicatione & ſequeſtribus interpoſitis tentarit omnia. Quin & alibi ita legimus, *Quia omnibus modis obediendum eſt pietati veſtræ religioſiſsimæque voluntati, liberis adieci ſententiam meam.* Et iterum : *Literas clementiæ tuæ veneranter accepi, quibus cuperem etiam in eo quod præſentiam meam pietas veſtra neceſſariam exiſtimat, obedire, vt maiorem fructum conſpectu veſtri ſplendoris aſſequerer.* Et iterum : *Præceptioni veſtræ in eo adnitar obedire, vt aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos præſentiæ meæ inſtar exhibeant.* Certè qui obedientiam præceptionibus Imperatorijs, & ſtatutis, & mandatis exhibendam profitetur, longè abeſt vt Imperatorem ſibi ſubordinatum, ſe illo ſuperiorem eſſe ſentiat.

Epiſt. 23.

Epiſtola 57. ad Martian.

Epiſt. 73. ad Leon.

Epiſtola 6.

Sequitur Anaſtaſius ſecundus, cuius ad cognominem ſibi Anaſtaſium Imperatorem hæc ratio ſcribendi eſt ; *Pro fide Catholicâ humilis pietati tuæ precator occurro.* Certè humilis precatio ſuperiori in inferiorem conuenire non poteſt, neque hæc nunc cum Principibus Pontificis agendi ratio eſt ; quare manifeſtum eſt Anaſtaſium id ſpectaſſe quod poſtea disertè profitetur, vicariatum diuinæ maieſtatis in Regiâ poteſtate collocari, cui omnis anima, etiam Romani Pontificis humiliter ſupplex eſſe debeat. *Pectus clementiæ veſtræ ſacrarium eſt publicæ fœlicitatis, & per præſtantiam veſtram quam Deus velut vicarium præſidere iuſsit in terris Euangelicis, Apoſtolicisque præceptis non dura ſuperbia reſiſtat, ſed per obedientiam quæ ſunt ſalutifera compleantur.* Qui quidem locus ita ſupremam Regis poteſtatem aſſerit, dum enim ait *velut Dei vicarium in terris præſidere*, vt ſimul quoque illam ad ſpiritualia pertinere confirmet,

Epiſt. ad Anaſtaſium.

ibid. cap. 6.

confirmet, quemadmodum poſtea ſuo loco dicendum eſt. Anaſtaſio ſecundo adiungimus Pelagium primum; qui ad Childebertum Regem Francorum, filium Imperatoris Iuſtiniani cum ab eo confeſsionem fidei edere requireretur, vt ſe oſtenderet ab orthodoxâ fide minime alienum, ita ſcribit; *Quanto nobis ſtudio ac labore ſatagendum eſt, vt pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo obſequium confeſsionis noſtræ Regibus miniſtremus, quibus nos etiam ſubditos eſſe ſanctæ Scripturæ præcipiunt.* Quid diſertius, quid expreſsius dici potuit; Romanos ipſos Pontifices, præcipiente ita ſacrâ Scripturâ, Regibus atque Imperatoribus eſſe ſubiectos vt conſtet nonniſi proditoriâ perfidiâ Pontificem iugum à Deo impoſitum excuſsiſſe, ſeque Domini ſui dominum effeciſſe.

Epiſtola 16.

Sed maxime omnium Gregorius nobis hac in cauſa ſuffragator eſt, qui verbo ſimul, & facto confirmat quod à Pelagio teſtatum eſt, Epiſcopos etiam Romanos Principibus obſequentes, & ſubditos eſſe oportere. Colligamus hinc inde per Epiſtolas quæ rem hanc ita manifeſtam faciant, vt impudentiſsimos eſſe neceſſe ſit Sycophātas illos & paraſitos, qui Pontifici Romano in ſuperbâ illâ poteſtatis ſuæ venditatione aſſentatores ſunt. Ac primo ſe Imperatoris mandato ad munus Epiſcopatus prouectum ſignificat; qua de re ita loquitur, *Ecce sereniſſimus dominus Imperator, fieri ſimiam Leonem iuſsit, & quidem prouiſione illius vocari Leo poteſt, fieri autem Leo non poteſt.* Factus ille Romanus Epiſcopus Imperatoris iuſſu & prouiſione, Dominum illum ſuum agnoſcit, eóque ſe ſubiectum teſtatur. Sed multò clariùs hoc ex ſequentibus liquebit. Ergo altero poſt anno ita factum eſt, vt legem Imperator ſtatuerit, nequis ad militiam conſcriptus in monaſterium ſuſciperetur. Legem hanc Gregorius grauiter tulit, quod per illam prohiberi homines exiſtimaret à ſeculo renunciando quo ſe totos pœnitentiæ & pietati accommodarent; ſed illam nihilominus ita iubente Imperatore pro officio ſuo promulgandam curauit. Ita tamen promulgauit, vt Imperatorem de incommoditate legis huius admonere non negligeret. Scribit er-

Lib. 1. epiſt. 5.

go epiſtolam affectu, & pietate plenam, in quâ multa dicuntur, quæ propoſito noſtro accommodata ſunt, Orditur epiſtolam in hunc modum : *Omnipotenti Deo reus eſt qui ſereniſsimis Dominis in omne quod agit, & loquitur, purus non eſt ; ego autem indignus pietatis veſtræ famulus in hac ſuggeſtione neq; vt Epiſcopus, neque vt ſeruus iure reipublicæ, ſed iure priuato loquor, quia, ſereniſſime Domine, ex illo iam tempore Dominus meus fuiſti, quando adhuc Dominus omnium non eras.* Quàm verò longè abſuit à faſtu poſteriorum Epiſcoporum ; ab arrogantiâ illâ inſolentiſsimâ & Antichriſtianâ quâ Imperator *Papæ homo, homo ligius,* vt loquuntur, factus eſt, quâ Pontifices Domini, Imperatores verò vaſalli & ad fidelitatem iurati; *ſereniſſimè Domine,* inquit, *ego indignus famulus veſter, etiam priuato iure ſeruus.* Poſt commemoratam verò legem ita loquitur; *Quam conſtitutionem ego, fateor, Dominis meis vehementer expaui.* Et iterum paulò poſt ; *Ego hæc Dominis meis loquens, quid ſum niſi puluis & vermis?* Et iterum, *Ad hoc poteſtas ſuper omnes homines Dominorũ meorũ pietati cœlitus data eſt, vt qui bona appetunt adiuuentur, &c.* Et iterum. *Ecce per me ſeruum vltimum ſuum, & veſtrum, reſpondebit Chriſtus* ; & *Reſponde rogo, piiſſime Domine, ſeruo tuo*; &, *Ego indignus famulus veſter ſcio quanti his diebus meis in monaſterio milites conuerſi miracula fecerunt*, &, *Requirat, rogo, Dominus meus, quis prior Imperatorum talem legem dederit.* Cogitate quid ſonent iſta omnia, vtrumuè ſupereminentiam in Reges, an verò potius humillimam ſubiectionis recognitionem? Certè non arbitramur Principes ſubiectis ſuis, Dominos ſeruis iſta obſequia profiteri. Sed maximè clauſula epiſtolæ animaduertenda eſt. *Ego*, inquit, *iuſsioni ſubiectus, eandem legem per diuerſas terrarum partes tranſmitti feci, & quia lex ipſa omnipotenti Deo minimè concordet, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam ſereniſſimis Dominis nuncupaui ; vtrobiq; ergo quod debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod ſenſi minimè tacui.* Ecce verò vobis Romanum Pontificem iuſsioni ſubiectum, & ita ſubiectum vt legem menti ſuæ contrariam, iuſſus ab Imperatore ſine morâ publicandam

Lib. 2 ind. 11. Epiſt. 61.

dam

dam ſibi ſentiat. In eo verò *obedientiam præbet, & præbendo obedientiam quod debet exoluit.* Attendite verò hoc. Pontifex Romanus, Imperatori obedientiam præbet; & præbendo *obedientiam* nonniſi *quod debet exoluit.* Conclamata hîc cauſa eſt, neque dici quicquam contra poteſt.

VII Et tamen Matthæus Tortus ſiue magis ille eſt Cardinalis Bellarminus, pro eâ quâ eſt impudentiâ ſingulari dicere aliquid auſus eſt contra; *coactum* ſcilicet fuiſſe totum hoc & tyrannide Mauritij expreſſum, deque eâ queſtum eſſe Gregorium in *Pſal.* pænitent. 5. vbi *turpiſſimi lucri cupiditate illectum* memorat ad Eccleſiam Romanam perſequendam incubuiſſe. Sed ſi tempora diſtinguamus labeſcit reſponſio iſta, & merâ fraude contexta eſſe diſcernitur. Mauritium initio regni virum fuiſſe ſingulari pietate ac virtute pleniſsimè deſcribit & confirmat Nicephorus, & quidem Gregorium ſumma beneuolentiâ complexum eſſe, manifeſtum eſt, non modò quod illum antè delegerat, qui filium eius Theodoſium de fonte ſuſciperet, verùm etiam quod ipſius mandato, vt ante vidimus, ad Romanum Epiſcopatum euectus eſt. Scripſit epiſtolam hanc Gregorius ſecundo aut certè tertio anno Epiſcopatus ſui, imperij Mauritj anno circiter decimo, quando nihil adhuc omninò mutatus eſt; degeneratio namque illa & prolapſio turpis in auaritiam, & tyrannidem ferè ſub exitum imperij facta eſt; anno circiter decimo octauo aut nouo, quemadmodum Vrſpergenſi viſum eſt. Quantum verò poſteà Gregorio tribuerit, vel eo manifeſtum eſt quod illius interceſsione anno poſt quinto legem illam Gregorio tam grauem mitigarit & correxerit, quemadmodum ſignificat ille *epiſt. lib. 7. epiſt.* 11: *indict. 1. Legem,* inquit, *hanc pijſſimus Imperator dedit* (en adhuc piiſsimum Imperatorem) *veſtræ ſtudui fraternitati tranſmittere.* Vbi poſtquam legis caſtigationem deſcripſerat, tandem concludit; *Qua de re etiam ſereniſſimus & Chriſtianiſſimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur* (videte hîc quoque Chriſtianiſsimum Imperatorem) *& libenter eorum conuerſionem ſuſcipit; quos in rationibus publicis implicatos non eſſe cognoſcit.* Sed vt porrò fraudem intelligamus

Hiſt. lib. 18. *c.* 6. 8. 9.

Epiſt. lib. 7.

ligamus Cardinales Ieſuitæ, attendite biennio poſt legem illam latam, vbi animos cæteris Patriarchis aduerſus Ioannis Conſtantinopolitani ſuperbiam confirmare vult, quale ille de Mauritio teſtimonium ferat, *Nec hac*, inquit, *in re de sereniſſimis Dominis animum veſtrum mordeat ſiniſtra ſuſpicio, quia omnipotentem Dominum metuit, & contrà ſtatuta Euangelica, contra ſacratiſſimos Canones agere aliquid nullo modo conſentit.* Quin, & poſt aliud quadriennium de beneficentiâ eius in Romanam Ciuitatem videte quid dicat: *Dominorum pietas, quæ ſuos miſerecorditer conſueuit famulos continere, ita benignâ hic ſubuentione reſplenduit, vt cunctorum debilium inopia largitatis eius ſit conſolatione ſubleuata. Pro qua re lachrymabili prece omnes depoſcimus, vt omnipotens Deus, qui ad hoc clementiæ veſtræ corda compunxit, incolume in amoris ſui conſtantiâ Dominorum ſeruet imperium. Et victorias eorum in cunctis gentibus auxilio ſuæ maieſtatis extendat.* Quæ quidem epiſtola ſcripta eſt indictione tertia, anno imperantis Mauritij decimo ſeptimo. Hactenus ergo Mauritius non malus, (Gregorio ipſo teſte,) neque vllus Bellarminianæ reſponſionis prætextus eſt. *Lib.4. epiſt. 36.* *Lib.8. epiſt. 2.*

Quanquam non is fuit Gregorius qui metu ad aſſentationem, & medacium induci potuiſſet, qui quanquam plurimorũ beneficiorum obligatione Mauritio ſe deuinctum profeſſus eſt, non pepercit tamen admonere ſiquid ab illo factum ſecùs quam officium fuit. Quâ de re ita ſcripſit alicubi. *Cogitet Dominorum pietas de me proprio ſuo quem ſpecialiter præ cæteris ſemper fouit, atque continuit qui & vobis obedientiam præbere deſidero, & tamen de mea negligentia reperiri reus in ſupremo tremendoq; iudicio pertimeſco.* Itaque de Regis illius iniquitate, quam ſupra vidimus, apertè illum & piè monet, alibi expoſtulat cum eo probrum quod fatuum illum dixerat, & de reuerentiâ ſacerdotibus præſtandâ libere diſſertat. Neque pepercit Ioanni Conſtantinopol. quo minus ambitioſam eius vanitatem exagitaret, vtut in illum initiò Imperator nimium propendere viſus eſt. Immò attendite quod ad Imperatorem ipſum ſcripſit, quando illi cum Ioanne Conſtanti- *Lib.4. epiſt. 32.* *Lib.4. epiſt. 31.*

nolitano contentio interceſsit; *Qui contra omnipotentem*
Lib.4.ep.32. *Dominum per inanis gloriæ tumorem, atq; contra ſtatuta patrum ſuam ceruicem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam ſibi nec cum gladijs flectit.* Iterum quoque ad Conſtantiam Auguſtam de Salonitanæ ciuitatis Epiſcopo abſque ſe ordinato, cui fauere Imperatorem non neſciuit, ita loquitur;
Epiſtol. 34. *hoc breuiter ſuggero, quia aliquantulum expecto; & ſi ad me diu venire diſtulerit, in eo exercere diſtrictionem canonicam nullo modo ceſſabo.*

Porrò poſtquam labem illam auaritiæ contraxerat Mauritius, ita libere illum reprehendit Gregorius, vt planè odium ſibi ab illo crearet, ex quo ferè ad vim in illum excercendam adductus eſt, quemadmodum ab Vrſpergenſi animaduerſum eſt. Denique Gregorij hac in parte conſtātiam, & quam nihil admittere ſuſtineret, quod in iniuriam ſedis Apoſtolicæ viſum eſt, intelligere licet ex illa
Lib.7.ep.1.Ind. 1. quâ vſus eſt proteſtatione. *Ante paratus ſum mori quàm beati Petri Apoſtoli Eccleſiam meis diebus degenerare; mores meos cognitos habes; quia diu porto; ſed ſi ſemel deliberauero non portare, contra omnia pericula lætus vado.* Et indictione
Indict.2.ep.78. 2. epiſt. 78. *in cauſa in qua Deo placere cupio, homines non formido.* Quare perditè Bellarminus cauſam hanc agit, & manifeſto mendacio clariſsimam veritatem eludere conatur, cum tam luculenter appareat non coactam, non metu expreſſam, ſed ſpontaneam & ex conſcientiâ profectam fuiſſe Gregorianam illam debitæ obedientiæ profeſsionem.

Nec maiore fide Parſonius reſpondet, qui huius loci mole oppreſſus, & ita quidem vt deſcribere ad verbum haud auſus ſit, mero ludibrio vulnus ſuum non euitat, ſed occulte diſsimulat. Agnoſcit enim præſtitam Imperatori obedientiam in re temporali, nempè in lege illa quam diximus publicanda, ſed tamen poſtea non ante publicatam videri vult, quàm *Paſtorali Gregorij poteſtate correctam & limitatam.* Sed quomodò in re temporali exhibitam obedientiam dicit, quandò Bellarminus ex Pontificis ſententiâ, negat, vt ante viſum eſt, Pontificē vnquàm in temporalibus Imperatori fuiſſe ſubiectum: Ita ſe mutuo confodiunt

fodiunt Ammonitæ iſti, & Moabitæ: Bellarminus Parſonij reſponſum damnat, Parſonius Bellarmini. Quanquàm animaduertendum quoque fuit ingreſſum religionis non eſſe rem temporalem; quare legem quæ vetaret ingreſſum religionis non fuiſſe de re temporali. Aliam verò Gregorio viſam eſſe manifeſtum eſt, cuius illud ibi eſt, *Quia contra authorem omnium Deum hanc intendere conſtitutionem ſentio, Dominis tacere non poſſum.* Atqui verò leges, quæ de rebus tantum temporalibus feruntur, contra authorem omnium Deum facere ſenſu Gregorij non poſſunt. Denique eſto fuiſſe rem temporalem, & Pontificem temporalibus legibus conformitatem præſtare, an ideo dicendum Pontificem in temporalibus obedientiam debere, tanquam Domino ſuo, & *iuſſioni ſubiectum eſſe?* An verò ita Parſonio viſum eſt? Quin ſi intellexiſſet hoc Paulus Quintus non minus illum nebulonem indigitaſſet, quàm feciſſe dicitur Clemens octauus.

In alterâ verò parte non minus iterum craſſè mentitur, quia magnâ cum humilitate, vt vidimus, Gregorius obteſtatur, & rogat Imperatorem, vt remittat aliquid de lege illa: feciſſe verò aliquid poteſtate pro lege caſtiganda ita nihil prorſus argumenti eſt, vt durisſimâ fronte fuiſſe illum conſtet, quem non puduit tam putidū figmentum, cuius ne prætextum quidem habet vllum, in publicum dare, id tantum agens vt credulos lectores, & imperitos deludat, nihil interim ſolicitus apud doctos periclitari fidem ſuam, apud Deum conſcientiam. Sed nè vno iſto loco, quem adduximus, freti eſſe videamur, ſuperſunt plura alia ex iiſdem Gregorij epiſtolis in ſubſidium afferenda, quæ quia commodè iam tranſigi non poſſunt, in proximam lectionem differenda ſunt.

Prælectio Octava.

Paragraph. I. *Obſequij & officij erga Mauritium humillima Gregorij profeſſio ex epiſtolis ipſius colligitur.*

II. *Quod contra affertur ex priuilegio cuiuſdam Xenodochij, & perquam ſimili, monaſterij S. Medardi refellitur.*

III. *Pro ſupremâ regum poteſtate Synodi ſextæ Conſtantinopolitanæ.*

IV. *Agathonis,*

V. *Gregorij ſecundi.*

VI. *Synodi Nicænæ ſecundæ, & Adriani Pontificis.*

VII. *Othonis Friſingenſis, nec non Ambroſij teſtimonia producuntur.*

VIII. *Sculkenij effugium, viz.* Reges nullis legibus politicis ſubijci, obnoxios tamen eſſe legibus Eccleſiaſticis, *conuellitur.*

I Vidimus hactenùs Imperator Romanus quantâ cum humilitate, atque obſeruantiâ à Romanis Epiſcopis, Leone, Anaſtaſio, & Gregorio, acceptus ſit. Gregorianam verò illam obedientiæ atque officij profeſsionem quam ex epiſtola 61. Indictione 11. cumulatiſsimam expoſuimus, à calumnioſis Bellarmini atque Parſonij commentis vindicatam pleniſsimum eius rei documentum continere docuimus. Id vt certiùs conſtet, & planè liqueat non temerè illa quæ attulimus, non caſu excidiſſe, ſed ex inſita atque impreſſâ officij conſcientiâ & religione prodijſſe, videamus quam portò conſtanter hoc egerit, & certam hanc ſibi mentem iudicarit. Epiſt. 64. Ergo 3. poſt epiſt. de eâdẽ lege ſcribens ad Theod. medicũ, cuius interceſsione apud Imperat. pro eadẽ vel abrogandâ vel mitigandâ vſus eſt, vt mittam illa, *Quanta bona omnipotentis Dei & sereniſſimi domini mei Imperatoris habeam lingua mea non ſufficit explere.* Et paulò poſt: *Ideo sereniſſimus Dominus noſter fecit*, quibus diſerte Imperatorem dominum ſuum eſſe teſtatur, videte generali ſententia

tentiâ quid dicat, quo tota Bellarmini defenſio iugulatur & concidit, *valde mihi durum videtur vt ab eius ſeruitio milites ſuos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non ſolum militibus, ſed etiam Sacerdotibus conceſſit.* Imperator ergò vt ei omnis anima ſubiecta ſit *Sacerdotibus* quoque dominatur, in quibus eſt Gregorius Romanus Epiſcopus, qui aſsiduè dominum appellans, illius in ſe dominatum ingenuè agnoſcit, Cui conſentaneum eſt quod alibi quoque ad Mauritium ipſum ſcribit, male habens quod ei *ſimplicitatem*, quam ille fatuitatem interpretatur, exprobaret; *Sacerdotibus non ex terrenâ poteſtate dominus noſter citiùs indignetur, ſed excellenti conſideratione propter eum cuius ſerui ſunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat.* Attendite quam ille Bellarmino contrarius ſit. Bellarminus Sacerdotes, quia ſerui ſunt Chriſti, à poteſtate Principum exemptos vult. Gregorius quanquam ſerui Dei ſunt; Dominio tamen Imperatoris ſubiectos profitetur, tantummodo monet deferendum illis honorem, & reuerentiam propter eum cuius ſerui ſunt, *ſiue propter opus ſuum*, quemadmodum Apoſtolus ad Theſſalonicenſes locutus eſt; *Ita*, inquit, *dominetur eis vt debitam etiam reuerentiam impendat*, quod nemo vnquam non faciendum arbitratus eſt. Cæterùm quod ſuperiùs, non obſtante reuerentiâ iſta, profeſſus eſt, *ſe iuſſioni ſubiectum eſſe* videte in hac epiſtolâ quomodo muniturn det. *In sereniſſimis*, inquit, *iuſſionibus ſuis Dominorum pietas me de quibuſdam redarguere ſtuduit; Ego in ſereniſſimis Dominorum iuſſionibus ab Arnulphi aſtutiâ deceptus ſum; ſuperuenientibus Dominorum iuſſionibus inueni conſolationes quas non ſperabam.* Sequitur autem epiſtolam illam altera quoque ad eundem Mauritium Auguſtum, in qua ſubinde eodem loquendi modo vtitur, *Quantum ad me attinet ſereniſſimi iuſſionibus obedientiam præbeo; vobis obedientiam præbere deſidero; Ego dominorum iuſſionibus obedientiam præbens*; & ad Conſtantiam Auguſtam; *Ego præceptioni pietatis dominorum obediens.* Iam verò cui iubendi poteſtas eſt, ſuperiorem illum eſſe dubitari non poteſt. Quare abhorruit verbum illud Gregorius de ſuis

Lib. 4. ep. 31.

1. Theſſ. 5.

Lib. 4. ep. 32.

ſuis conſilijs ab Alexandrino Patriarchâ adhibitum, quo etſi prior loco, ſuperior tamen authoritate videri noluit: *Veſtra beatitudo loquitur mihi dicens, Sicut iuſſiſtis: quod verbum iuſſionis peto à meo auditu remouete, quia ſcio quis ſum, qui eſtis; loco enim mihi fratres eſtis, moribus patres. Non ergo iuſſi, ſed quæ vtilia ſunt indicare curaui.* Non potuit ergo Romanus iubere Alexandrino. Imperator potuit iubere Romano: & frequens hic iuſsionum mentio eſt. Superior ergo Imperator Epiſcopis Alexandrino pariter &

lib.7.ep.1. Romano. Atque eò reliqua illa pertinent, *Sereniſſimus Dominus noſter iuſſiones tranſmiſit; ſuggeras ſereniſſimis*

lib.9.ep.40. *Dominis noſtris, quia ſi ego ſeruus eorum &c.* Et iterum: *Pro vita pijſſimi & Chriſtianiſſimi Imperatoris Domini noſtri ſemper orandum*; quæ omnia dominatum Imperatoris in Epiſcopos Romanos; & eorum in illum habitam ſubiectionis ingenuitatem clariſsimè demonſtrant.

Cæterùm etſi ex Gregorio ſatis aperta res ſit, & tam clarâ luce refulgeat, vt perſtringere aduerſariorum oculos, & meritò reddere attonitos poſsit, habere tamen aliquid videri volunt ex Gregorio, quod huic luci nebulas offendat. Meminiſtis dictum ante à Sculkenio, *Romanos Epiſcopos ante Gregorium Magnum Reges non depoſuiſſe*, quaſi nempè Gregorius ipſe depoſuerit. Sed quid illud, quæſo, eſt apud Gregorium de Regibus deponendis? Nempè in priuilegio Xenodochij à Syagrio Epiſcopo, & Bonnichilda Regina in Auguſtodunenſi ciuitate conſtructi

lib.11.ep.10. ita loquitur; *Si quis verò Regum, Sacerdotum, Iudicum ac perſonarum ſecularium hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens contra eam venire tentauerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & niſi vel ea quæ ab illo malè ablata ſunt, reſtituerit, vel digna pœnitentia illicitè acta defleuerit, à ſacratiſſimo corpore, ac ſanguine Dei noſtri Redemptoris Ieſu Chriſti alienus fiat, atque in æterno examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat; cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Dom. noſtri Ieſu Chriſti quatenus & hic fructū bonæ actionis recipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant.* Etiam in priuilegio Monaſterij Sancti Medardi

di in eandem ſententiam adſcribit; *Si quis Regum, Antiſtitum, Iudicum &c. huius Apoſtolicæ authoritatis & noſtræ præceptionis decreta violauerit, &c. cuiuſcunque dignitatis, vel ſublimitatis ſit, honore ſuo priuetur, & vt Catholicæ fidei deprauator, vel ſanctæ Dei Eccleſiæ deſtructor à conſortio Chriſtianitatis, & corpore ac ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſequeſtretur, & omnium maledictionum anathemate teneatur, quibus infideles & hæretici ab initio ſeculi vſque in præſens damnati ſunt, &c.* Satis hoc quidem pro imperio vt qui conſtitutiones iſtas violauerit, cum Iuda proditore conferatur, vt omni maledictionum anathemate teneatur, vt in inferno inferiori damnetur; quæ ita videntur abſurda, vt vix mihi perſuadeam à Gregorio authore iſta profecta eſſe; vt haud minus ſuſpectæ eſſe poſsint literæ iſtæ, quam Binio alteræ illæ quæ Rauennatenſi Eccleſiæ priuilegia, non abſque aliquo Eccleſiæ Romanæ præiudicio, confirmant, adiecta ſimili denunciatione, *Si quis ex his aliquid ſubtrahere tentauerit, vel in aliquo contra hoc noſtrum priuilegium temerario auſu præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculis innodatum, & cum Iudâ traditore Domini noſtri Ieſu Chriſti æternis ſupplicijs deputatum.* Sed eſto Gregorij, neque enim ea de re contendere operæ pretium putamus, at quid ad rem? Certè enim imprecatio eſt, non ſententia; & denunciatio non imperatiua, ſed optatiua. *Honoris ſui dignitate careat, honore ſuo priuetur*; hæc imprecatio haud magis Reges quam de gradu deijcit Sacerdotes. An enim ex hoc deſinunt eſſe Sacerdotes? Sed per quem? Neque enim certè Gregorius vſque ad finem ſeculi deponit Reges. Manet ergò in diſcrimine per quem priuentur, tantummodò optat ille vt priuetur. Quod ex reliquis manifeſtum eſt. *A corpore & ſanguine Domini alienus fiat*; quid & ille mortuus à corpore & ſanguine Domini alienum facit. *In æterno examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat*. An verò penes illum vt ſubiaceat. *Omnium maledictionum anathemate cum Iuda proditore in inferno inferiore damnetur.* At verò *vnus legiſlator eſt qui poteſt ſaluare & perdere*; Non erat in poteſtate Gregorij, vt quis in inferno inferiore damnetur, ſed ex adiun- *Iac. 4.*

cta

ctâ benedictione ſenſus manifeſtus eſt; *Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Christi;* quâ nihil facit Gregorius, ſed bene vult, benè precatur ſeruantibus iuſta; quomodò mala quoque imprecatur non ſeruantibus. Atq; in vſu quidem erant execrationes iſtæ, in chartis priuilegiorum, & donationum ad terrorem, vt ex aliorum quoque more quid velit Gregorius certius intelligamus. Sic enim Ethelbertus Cantiæ Rex in Chartâ fundationis Monaſterij Sancti in ciuitate Cant. *Adiuro & præcipio in nomine Domini Dei omnipotentis, qui eſt omnium rerum iuſtus iudex, vt præfata terra ſubſcriptâ donatione ſempiternaliter ſit cõfirmata, ita vt nec mihi, nec alicui ſucceſſorum meorum Regum aut Principum, ſiue cuiuſlibet conditionis dignitatibus & Eccleſiaſticis gradibus de eâ aliquid fraudare liceat, ſiquis verò de hac donatione meâ aliquid minuere aut irritum facere tentauerit, ſit in præſenti ſeperatus à ſanctâ communione corporis, & ſanguinis Christi, & die iudicij ob meritum malitiæ ſuæ à conſortio Sanctorum omnium ſegregatus.* Non potuit Ethelbertus Rex à communione ſeparare non in die iudicij à conſortio Sanctorum ſegregare; tantumodò mala iſta precatur ei qui donationem ſuam in fundatione ædis illius violare tentaret. Ita in Concilio Aurelianenſi pro muniendo Lugdunenſis ciuitatis Zenodochio, quod Childebertus Rex & Vltrotha Regina fundarunt, cautum eſt; *Siquis quolibet tempore conſtitutionem ſacrilegus, & improbus præſumptor noſtram obuius eludere tentauerit, aliquidque de conſuetudine, vel facultate Xenodochij fraudauerit, vt Xenodochium (quod Deus auertat eſſe deſinat) vt necator pauperum irreuocabili*; ſiue vt alias legitur, *interminabili anathemate feriatur.* Vbi certè non ſententia, ſed votum & voluntas eſt. Neque enim penes illos, vt quiſquam irreuocabili anathemate feriatur. Per quem verò feriatur? Per quemcunque fiat nihil intereſt; tantumodò vt fiat; Deo vt ſit anathema, etſi non hominibus: non eſt autem penes hominem vt quiſquam Deo in æternum ſit anathema.

Apud Iuell. defenſ. Apol. Vide Concil. tom. 3. pag. 235. a. & 445. b.

III Vidimus hactenus ad Gregorium vſque magnum, & in hoc quidem maximè omnium Romanorum Epiſcoporum

porum erga Principes,& Imperatores quæ obſequia fuerint, nunquam vt hactenus auditum ſit Cæſarem Pontifici ſubordinatum ; Pontificem Cæſare ſuperiorem eſſe, Nondum verò obtinuerat in Eccleſia nomen vniuerſalis Epiſcopatus, cumque ſuperbam illam appellationem Iohannes Conſtantinopolitanus ambitioſiùs affectaret, Gregorius illum acerrimè tanquam eo ipſo Antichriſti præcurſorem inſectatus eſt. Et vidit ille quidem aliquid in nomine illo ex quo iniuriam inde Principibus futuram ominatus eſt, vnde profecta vox illa ad Mauritium Imperatorem de Iohanne Conſtantinopolit. *Honori quoque imperij veſtri ſe per priuatum vocabulum ſuperponit*, id quod exitu rerum abundè comprobatum eſt. Quod enim Conſtantinopolitanus tam inſolenter ambierat,hoc non multò poſt à Phoca proditore *non ſine magna contentione* (vt ait Platina) obtinuit Romanus Bonifacius tertius, vt *Romana Eccleſia caput eſſet omnium Eccleſiarum*; vt Romanus Epiſcopus vniuerſalis eſſet Eccleſiarum omnium Epiſcopus. Hoc adeptus Romanus etſi inſoleſcere cœpit in Eccleſia magis, ac magis, contentus tamen primatu inter Epiſcopos, Imperatori debita, & hactenus quidem præſtita obſequia non negauit. Et Bonifacius quidem obtinens à Phoca principatum illum, eo ipſo illum ſe ſuperiorem recognoſcit. Nam qui priuilegium concedit,ſemper maior eſt eo,cui conceditur. Maior ergo hactenus Imperator Pontifice. Quod vt planè liqueat, tranſeamus ad Agathonem 1. qui fuit à Bonifacio tertio decimus tertius, quo Pontifice habita eſt Synodus ſexta Conſtantinopolitana, cui adfuerunt ex Agathonis perſonâ Theodorus & Gregorius Presbyteri & Ioannes Diaconus, vbi in initio ſingularum ferè actionum ita legimus; *In nomine Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Imperantibus à Deo coronatis,& sereniſſimis noſtris Dominis Flauijs Conſtantino pijſſimo Auguſto, & Heraclio, atque Tiberio à Deo conſeruandis fratribus eius; Præſidente eodem pijſſimo & Chriſto dilecto magno Imperatore Conſtantino.* Vbi videre eſt totum Epiſcoporum Senatum,conſentientibus vbique Pontificis Romani Legatis Imperatorum

Lib. 4. ep. 38.

in ſe dominatum conclamãtes, Imperatoribus, inquiunt, ſereniſsimis Dominis noſtris, etiam Conſtantino in Epiſcoporum Concilio Præſidente. Certè vtut Pontifex metu Cæſarem dominum dicat; vtut Epiſcopi ſigillatim idem dicant; Papam tamen & Concilium dominatum Cæſaris in ſe agnoſcere; Dominum ſuum Cæſarem appellare; haud parui ad cauſam noſtram momenti eſt. Et quî tandem hoc cum illo Campiani problemate de Concilio Conſtantienſi conuenire poterit; *Cæſar obſignauit* (nempè ſaluum conductum Ioannis Huſsij, quo fretus ad Concilium venire non detrectauit) *Cæſar*, inquit, *obſignauit, Chriſtianus orbis maior Cæſare reſignauit*. Non ibi orbis Chriſtianus maior Cæſare, quin potius Cæſar Dominus orbis Chriſtiani, etiam *Præſes* in Concilio Epiſcoporum orbis Chriſtiani.

Camp. Rat. 4.

IV. Sed non hoc eſt quo tendit oratio mea; videte ibi Romanum per ſe Epiſcopum ſubiectionem ſuam, & ſeruitutem & obedientiam Imperatori humillimè profitentem. Habetur enim Act. 4. *Agathonis* epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, cuius inſcriptio eſt; *Dominis piiſsimis & sereniſsimis victoribus, Conſtantino maiori Imperatori, Heraclio, & Tiberio Auguſtis, Agatho ſeruus ſeruorum Dei*. Subſcriptio verò; *Piiſsimorum Dominorum imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eiſq; omnium gentium colla ſubſternat*. Vtrinque Romanus Epiſcopus Auguſtos ſibi dominos profitetur, eóque interpretatiue ſe Auguſtis ſubiectum & ſeruum agnoſcit: Atque ex huius rei conſcientiâ cum requireretur Diuali ſacra mittere qui vicem eius in Concilio supplerent; *Per omnia*, inquit, *iubemus paternam veſtram beatitudinem minimè effici impedimentum voluntati Dei*, ita ſcribit ad Imperatorem; *Diualibus apicibus animatus &c. meliori ſum refectus confidentiâ paulatim, his quæ per manſuetiſsimæ fortitudinis veſtræ ſacramdudum præcepta ſunt, efficaciter promptam obedientiam exhibere, vt perſonas quales ſecundum huius temporis defectum, ac ſeruilis prouinciæ qualitatem poterant inueniri pro obedientiæ ſatisfactione inquirerem, &c.* Et paulò poſt: *Et niſi longus prouinciarum ambitus in quibus humilitatis noſtræ*

Dinal. ſacra initio Synod.

concilium

concilium conſtitutum eſt, tanti temporis protelationem ingereret, olim hoc quod vix tandem nunc fieri potuit ſtudioſâ obedientiâ famulatus noſter impleret. Et iterùm paulò poſt: *Ideo Chriſtianiſſimi Domini filij ſecundum pijſſimam iuſſionem protegendæ à Deo manſuetudinis veſtræ pro obedientiâ quam debuimus, non pro confidentiâ eorum ſcientiæ quos dirigimus, præſentes confamulos noſtros curauimus demandare.* Et iterum; *Pro quibus flexo mentis poplite ſuppliciter veſtram ad manſuetudinem ſemper intentam clementiam deprecamur;* Et iterum; *Hoc imperialis benignitas veſtra clementer iubens hortata eſt, & noſtra puſillitas quod iuſſum eſt, obſequenter impleuit.* Et iterum ſub finem; *Obſecro, itaque pijſſime atque clementiſſime Auguſte, atque vnà cum meâ exiguitate omnis anima Chriſtiana flexo genu ſuppliciter deprecatur.* Quid hic habet pertinaciſsima impudentia quod reſpondeat, quando Romanus Epiſcopus *iuſſiones* Imperatoris accepit, obedientiam exhibet, obedientiæ ſatisfactionem præbendam curat, famulumque ſe & cum cæteris confamulum agnoſcit, quod iuſſum eſt obſequenter implet, etiam flexo genu ſuppliciter deprecatur? Etiamne hic quoque habet Bellarminus, vt coacta hæc & per vim extorta eſſe contendat? nec verò ipſe ſolus, ſed cum concilio ſuo Imperatorem ita compellat; *Omnes nos exigui Eccleſiarum præſules, veſtri Chriſtiani imperij famuli in Septentrionalibus vel Occiduis partibus conſtituti.* En Epiſcopos non Apoſtolicæ ſedis, ſed Chriſtiani imperij famulos, vt de omnis animæ etiam Epiſcoporum, etiam Romani Epiſcopi ſubiectione, dubitandi locus nullus relictus ſit.

Et cum corde contrito, & profluentibus lachrymis mente proſtratus exoro.

Atque vt hoc porro conſtet, ad Gregorium 2. & 3. deſcendamus, quibus authoribus dicitur Imperator Leo tertius *Iſaurus* cognominatus ab Imperatoriâ dignitate deturbatus. Atque hoc à Græcis quibuſdam ſcriptoribus proditum, à Latinis nimium auidè acceptum eſt, Maximè Pontificijs aſſertoribus illis, qui hiſtoriam hanc Papalis illius poteſtatis experimentum, & argumentum eſſe voluerunt. Et illa me quoque aliquando feſellit, dum ſcriptoribus quibuſdam noſtris fidem habeo; V

ſed penitiùs rem intuenti manifeſtum eſt falſum eſſe quicquid Authores de Imperatore,tunc à Pontifice depoſito, memoriæ prodiderunt. Verè quidem ita factũ eſt vt Romanus totiuſque Italiæ populus rebellionem meditaretur illo tempore, & tributa Imperatori conſueta pendere recuſaret, ſiue quòd ſuperſtitione faſcinatus deſtructas ab illo imagines improbaret, ſiue quæ veriſsima fuit cauſa, quod derelictum ſe, ac hoſtium incurſionibus expoſitum abſque vllâ Imperatoris defenſione moleſtè ferret. Et potuit fortaſſe Romanus Epiſcopus clancularijs conſilijs rebellionem hanc alere, & quoad auſus eſt promouere, ſed quicquam apertè feciſſe quo Imperatorem deponere videri voluit, falſiſsimum eſt, idque ex ipſis Romanorum Pontificum literis, ac monumentis clariſsimè mendacij conuictum dabo. Ioannes Zonaras illius fabulæ non minimus author *Leonem*, ait, *anno ſeptimo contra Deum pugnare cæpiſſe, & contra ſacras Imagines inſanire*; *Et* paulò poſt *annum*, inquit, *decimum ſuæ tyrannidis auſpicans, vnà etiam cum Deo bellum auſpicatur*. Atqui verò ſcribens ad Bonifacium Gregorius ſecundus datas literas refert; *Pridiè nonas Decembris Domino pijſſimo Auguſto Leone à Deo coronato magno Imperatore, anno octauo ſiue nono* (alter numerus in textu habetur, alter in margine) *Sed & Conſtantino Magno eius filio anno quinto.* Ergo poſt annum ſeptimum imperij fuit ille Romano Pontifici *Dominus pijſſimus Auguſtus, & à Deo coronatus magnus Imperator*. Habentur ibi literæ quoque alteræ ad eundem Bonifacium *datæ decimo Calendas Decembris imperante Domino pijſſimo Auguſto Leone, à Deo coronato, magno Imperatore anno decimo*, ſiue vt in margine habetur *vndecimo imperij eius*. Ergo adhuc anno decimo vel vndecimo Dominus ille pijſsimus Auguſtus & magnus Imperator. Quin & ad mortem vſque Gregorij iſtius Leonem imperio potitum eſſe manifeſtum eſt ex libro Pontificali, vbi dicitur Gregorius ſepultus; *ſub die 3°. Idus Februarij Indict.* 14. *Leone & Conſtantino Imperatoribus*. At eò magis patet, quia eodem modo dat literas ad Bonifacium Gregorius tertius; *Imperante Domino pijſſimo Auguſto Leone*

[Margin notes: *Annal. Tom. 3.* — *Concil. Tom. 3. Binij Greg. 1. Epiſt. 9.* — *Epiſtol. 14.* — *Greg. 3. Ep. 4.*]

ne imperij eius anno viceſimo tertio, cuiuſmodi aliæ quoque ſunt apud Auentinum lib. 3. vt ne tum quidem Leo ſit depoſitus, peruixit autem ab illo tempore Leo nonniſi ſeptem menſes & dies viginti duos; Datæ enim literæ 4. Calend. Nouembris & mortuus eſt Leo 14°. Calend. Iulij ſequentis, Pontificatus Gregorij anno vltimo; ita vt de depoſitione Leonis nihil probabile dici poſsit. *Annal. l. 3.*

Atque eò quidem minus quia ſi depoſitus ab imperio Leo pater, etiam filius Conſtantinus Copronymus, ſimul cum patre regnaus in eâdem cauſâ deponi debuiſſet. Conſtantinum verò patri in imperio ſucceſsiſſe certiſsimum eſt, ne repugnante quidem Romano Pontifice, quod conſtat ex literis Zachariæ qui Gregorio 3. ſucceſsit, quas ſubinde ita concludit: *Data Calendis Aprilis, imperante Domino pijſſimo Auguſto Conſtantino, imperij eius anno ſecundo*, & iterum, *ep. 6 imperij eius anno* 4. Et iterum, *epiſt.* 8. *imperij eius anno ſexto:* & iterum *epiſt.* 12. & 13. *imperij eius anno vndecimo.* *Ex quibus patet Bellarminũ mere falſarium eſſe contra Barclaium pag. 312.* *Epiſt. 1. 2.*

VI. Succedunt in imperio non multò poſt Conſtantinus & Irene mater eius quorum auſpicijs, & authoritate Synodus Nicæna ſecunda coacta eſt pro impiâ illa imaginum ſuperſtitione confirmandâ, cui præerat per legatos ſuos Hadrianus Epiſcopus Romanus, cuius omnes Actiones ſic incipiunt; *In nomine Domini & dominatoris Ieſu Chriſti Imperantibus pijſſimis & Chriſto dedititiſſimis Dominis noſtris Conſtantino cum matre ſuâ Irene.* Ergo adhuc Imperator Dominus concilij *per eius decretum ſiue ſanctionem congregati*, vt ſubinde ibi patres agnoſcunt, vbi prætereundum non eſt quâ ratione ſolus ipſe Adrianus Imperatoriam maieſtatem alloquatur. Itaque ad Conſtantinum & Iren. ita ſcribit inter multa; *Deprecantes cum magnâ cordis dilectione, manſuetiſſimam veſtram Clementiam, & tanquam præſentialiter humo ſtratus & veſtris veſtigijs prouolutus queſo & coram Deo depoſco.* Videte vero hic humillimam ſubiectionis imaginem, quâ Pontifex veſtigijs Imperatoris prouolutus ſupplicíſsimè deprecatur, illum obteſtatur, & rogat; Quæ vero diſpar nunc ratio vt Imperator Pontifici indigniſsimè prouolutus pedibus eius oſculum figat: *Act. 1. 2. &c.* *Epiſt. 1.*

Eodẽ omnino modo in altera epiſt. legimus in Conc. Act. 2. *Obſecrantes ex animi feruore veſtram manſuetudinem obteſtando, & veluti præſentes genibus advoluti, & coram veſtigia pedum volutando ego cum fratribus meis coram Deo ſupplico, obteſtor, adiuro.*

VII Atque hactenus ad 800. vſque annos imperialis poteſtatis ſupra Romanos Pontifices ſupereminentia ex ipſis illorum monumentis, & factâ Imperatoribus ipſis recognitione, luce, meridianâ clarior apparet. Sub hoc verò tempore deſerta præſidio Imperatoris Italia ciuitaſque Romana, nec ſe valens vltra ſuis viribus ab aſsiduis hoſtium incurſionibus, & iniurijs tueri, Carolum magnum Regem Francorum Imperatorem aſciuit, cui quàm ſumma poteſtas in Rebus etiam Eccleſiaſticis (vt de temporalibus nihil dicam) attributa ſit, in ſequentibus, vbi ad negotium illud ventum fuerit, Deo volente, demonſtrabimus. Hîc commemorare ſufficiet in nouo illo imperio quid Otho Friſingenſis Epiſcopus ante annos quadringentos de Regum ſupereminentiâ ſtatuerit, cuius eximia eâ de re ſententia eſt ad Fredericum Imperatorem; *Cum nulla perſona mundialis inueniatur, quæ mundi legibus non ſubiaceat, ſubiacendo coerceatur, ſoli Reges vt pote conſtituti ſupra leges, diuino examini reſeruati, ſeculi legibus non cohibentur, vnde eſt illud tam Regis quàm prophetæ, Tibi ſoli peccaui.* Et rurſum; *Cum iuxta Apoſtolum horrendum ſit homini mortali incidere in manus Dei viuentis, Regibus tamen qui nullum præter ipſum ſupra ſe habent quem metuant eò erit horribilius, quò ipſi poſſunt cæteris peccare liberiùs.* Quibus verbis apertè docet ſupremo omnium loco Reges eſſe, præter Deum neminem ſupra ſe habere quem metuant, nullis legibus ſubiacere, ſoli diuino examini reſeruari, & dicere cum Dauide; *Tibi ſoli peccaui.*

VIII Hic Skulkenius quaſi laqueo captus ridiculo commento ſibi exitum parat, loqui ſcilicet Friſingenſem, *De legibus politicis & ſuperiore politico.* Nempe vt Reges etſi non ſuis legibus, etſi non ſuperiori Politico, tamen legibus Eccleſiaſticis, & ſuperiori ſpirituali Romano Pontifici ſubiecti ſint. Interim otioſè Friſingenſis illa omnia

&

& ineptè. Quorſùm enim omnia, ſi Rex legibus ſubiaceat Pontificijs quibus coercendus ſit; ſi illius examini ſtare debeat, ſi illum ſupra ſe habeat quem metuat, cui dicat, *Tibi quoque peccaui*, qui ſpoliare dignitate, & de imperio deturbare, & in manus ſubditorum, vel potius ſicariorum, & gladiatorum dare poſſit, vt peior omninò conditio ſit Regum quam ſubditorum? Hoccine eſt neminē ſupra ſe habere quem metuant? legibus cohiberi non poſſe, poſſe liberè peccare, &c. Sed dicat mihi Sculkenius, Dauid quibus legibus obnoxius fuit? Neq; enim vllæ ibi leges Pontificiæ, ſed omnes à Deo datæ ſunt, quibus ſpero ſtandum fuit magis quàm Pontificijs, quibus vindicandis forum non ciuile tantum, ſed Eccleſiaſticum ſaltem, mixtum ſummo Pontifice præſidente, conſtitutum eſt. Et tamen Dauid ſolutus legibus, *Tibi*, inquit, *ſoli peccaui Rex vtique erat*, inquit Ambroſius, *nullis ipſe legibus tenebatur; quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum, tuti imperij poteſtate.* Vbi iterùm occinit cuculus; *loquitur de legibus politicis, non Eccleſiaſticis.* Sed interim cæcus veſpertilio in luce ipſâ non videt euerti hoc modo ſententiam Dauidis, nec dici ab illo potuiſſe, *Tibi ſoli peccaui*, Sed dicendum fuiſſe Pontifici, *Tibi quoque peccaui*, prout ante animaduerſum eſt; vt nihil porrò dicam Eccleſiaſticas ibi fuiſſe leges omnes ſi Eccleſiaſticæ dicendæ ſint, de quibus viris Eccleſiaſticis cognitio & iudicium fuit. Quod ſi Eccleſiaſticæ dicantur illæ tantum quæ de rebus ſunt merè, & ſimpliciter ad Eccleſiam pertinentibus, quomodò adulteria, & homicidia, & eiuſmodi maleficiâ in Pontificiarum legum cognitionem incurrunt? Quanquàm incurrant iſta in leges Eccleſiaſticas, vt ex dictato legis diuinæ prohibeantur; certè tamen qua apud homines, & pœnâ ſeculi puniantur Eccleſiſtica lex nulla eſſe poteſt. *Omnia enim crimina quæ vindicari vult Deus*, inquit Origenes, *non per Antiſtites & Principes Eccleſiarum, ſed per mundi iudices voluit vindicari.* Ergo leges ſeculi Friſingenſi ſunt, quibus in ſeculo pœnalia ſecundum homines iudicia exercentur, vltioneſque & ſupplicia peccantibus decernuntur, & infliguntur; vt leges quoque

In Apolog. Dauid. Ambroſ.

In Rom. 13.

quæ

quæ dicuntur Eccleſiaſticæ, vbi in pænas temporales exeunt, nonniſi leges ſeculi dicendæ ſint. Rex ergo nullis legibus tenetur, quia nulla in ſeculo poteſtas eſt, per quam vltio Regibus ſecundum homines inferatur, vt in Regum peccatis ſolius Dei iudicium expectandum ſit. Cæterùm in illâ legum diſtinctione, non videt Skulkenius quantum ipſe ſibi vulnus infligat. *Soli Reges*, inquit Friſingēſis, *ſeculi legibus non cohibentur*; Si ſoli Reges nō cohibentur, cohibētur ergo Clerici, & Sacerdotes: Sacerdotes ergo, & epiſcopi, adeoque etiam Pontifices quia Reges non ſunt, ſeculi legibus obnoxij ſunt; & ex earum decreto puniendi. Ita dum à ſiniſtrâ ſibi cauet Skulkenius; à dextrâ imprudens ſauciatur. Denique leges ſeculi dicuntur quæ à ſeculari poteſtate conſtituuntur, de quibuſcunque illę cauſis ſint, quæ quidem ſolæ vim legum obtinent; Epiſcoporum enim Canones, & decreta niſi Principum comprobatio, & confirmatio accedat, authoritatem legum habere non poſſunt. Inde illud eſt Honorij Pontificis; *Imperator Iuſtinianus decreuit, vt Canones patrum vim legum habere oporteat.*

Decretal. Greg. de iuram. Calumni. c. Inhærentes.

PRÆ-

PRÆLECTIO NONA.

I. *Primum aduerſariorum argumentum ex verbis Chriſti Matth. 16. deprompt um proponit ur excutiendum.* *Paragraphi.*

II. *Aduerſus prædictam rationem excipitur verba Chriſti non in præſenti dici, ſed in futuro, iiſq ue adpromitti Petro grandia, ſed non dum illum in poſſeſſionem immitti.*

III. *Oſtenditur vbi in effectum datur iſta promiſſio non ſolum Petrum, ſed reliquos quoque Apoſtolos in eiuſdem prærogatiuæ ſocietatem cooptatos.*

IV. *Docetur vtut ad Petrum omnia ſingulariter ſpectare concedantur, non tamen hinc Monarchiam papalem ſtabiliri.*

V. *Secundum aduerſariorum argumentum ex verbis Chriſti Iohan. 21. petitum examinatur.*

VI. *Oſtenditur verbo* [illegible] *paſtoris officium, non monarchæ dominatum deſignari.*

EX tribus illis quæ initio propoſuimus ex hoc contextu Apoſtolico euoluenda, duo à nobis hactenùs explicata atque expedita ſunt. Primò ſupremam eſſe ſecundum Deum Regiam maieſtatem, & proinde ſecundò omnem illi animam ſubiectam eſſe oportere, neutrobique datâ Prophetarum, Pontificum, Sacerdotum exceptione aliquâ, Scripturarũ aſſertiſsimis documẽtis oſtendimus, Sanctorum patrum commentario, & expoſitione, adeoque Epiſcoporum Romanorum diſertiſsimâ recognitione munitiſsimis. Quia verò *parum eſt*, vt habet Hilarius, *in rebus ad ſalutem maximè neceſſariis ſola ea ad ſatisfactionem fidei afferre quæ propria ſunt, quia plerunq; blandientes ſenſum fallant dictorum noſtrorum inexploratæ aſſertiones, niſi etiam propoſitionum aduerſarum demonſtratæ inanitates fidem noſtram in eo ipſo quod ipſæ ridiculæ eſſe arguantur, affirment*, ea nobis ratio ineunda eſt, vt qui partem hactenùs noſtram aſſeruimus, deſtruamus porrò alienam, & aduerſariorum argumenta doceamus non I De Trinit. lib. x.

tela eſſe & vincula fortium, ſed telas aranearum, nec vibrari in nos hac in cauſâ quas iactitauit Campianus haſtas amentatas, ſed tantùm plumbeos pugiones. Neq; verè quicquam hîc nouum afferunt, tantummodo refricant repetuntque ad nauſeam vſque, & millies ingeminant quæ olim ab Hildebrando, ſingulari illo Diabolici furoris inſtrumento, ſeditionum & rebellionum anteſignano corraſa vndecunque, & ad prætextum ſceleris, atque perfidiæ ſuæ per nefariam impoſturam congeſta & conſarcinata ſunt. Poſtquam enim ſceleratus furcifer, odium Dei & hominum, Imperatorem Henricum excommunicaſſet, & ſubditis eius iuramentum fidelitatis & officij vinculum, auſu ſacrilego, & nunquam ante audito relaxare non dubitaſſet, Metenſis Epiſcopus, à Gregorij rationibus non alienus rei nouitate, vt videtur, attonitus, cum ſibi ſatisfacere non poſſet, ſcribit ad Gregorium epiſtolam, quâ petit ſuppeditari ſibi argumenta, quibus nouo huic incepto patrocinium ferat, neque quicquam ab illo tentatum non iure defendat. Huic epiſtolæ reſcriptum
Lib. 8. epiſt. 21. eſt à Gregorio, & *quod poſtulaſti*, inquit, *te quaſi noſtris ſcriptis iuuari ac præmuniri contra illorum inſaniam, qui nefando ore garriunt authoritatem ſanctæ, & Apoſtolicæ ſedis non potuiſſe Regem Henricum excommunicare, nec quenquam à Sacramento fidelitatis eius abſoluere, non adeò neceſſarium nobis videtur, cùm huius rei tam multa & certiſſima documenta in ſacrarum Scripturarum paginis reperiantur.* Nobilis impoſtor totus ex perfidiâ & fraude compoſitus ſacrarum Scripturarum teſtimonijs multis atque certiſsimis comprobatum videri vult teterrimum illud rebellionis inceptum, cui firmando nè vmbra quidem in Scripturis probationis vel exempli eſt. Cæterùm vt quod non neceſſarium videtur, præſtat tamen ex abundanti; colligit tanquam in aceruum quæcunque non ex Scripturis modò, ſed aliundè quoque ad nequitiæ ſuæ velamentum per fas nefaſque ingenioſa malitia torquere poſſet, quæ hodiè nec ferè quidem alia ab aduerſarijs obiecta quàm nullo momento ad cauſam ſint, quam otioſa omnia & irrita, liquebit, Deo volente in ſequentibus, vbi ſigillatim explicabimus

plicabimus, quæ maximo cum prętextu coniuncta ſunt. Ergo *vt de multis*, inquit, *pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, dicentis in Euangelio; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Et quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum in Cælis &c. Nunquid*, inquit, *ſunt hic Reges excepti? aut non ſunt de ouibus, quas filius Dei beato Petro commiſit? Quis, rogo, in hac vniuerſali conceſſione ligandi atque ſoluendi à poteſtate Petri ſe excluſum eſſe exiſtimat?* Iam ligandi poteſtatem Petro attributam de vinculo excommunicationis communiter interpretantur, quo Principes innodare ille poſsit, *Poteſtatem verò ſoluendi* eò extendit Bellarminus, vt etiam à iuramentis, à votis, à legibus relaxandi poteſtas ſit. Quæ omnia vt Petro primum accommodant nomine Romani Pontificis, ita reliquis in cathedram illam ſuccedentibus pari iure tribuenda eſſe contendunt. Atqui verò quatuor nobis hic aduerſus hanc rationem excipienda ſunt. *Suarez. pag. 726. Vide contra Barclai. cap. 3.*

Primò de futuro tantùm hic agi, proinde videndum vbi promiſsio iſta in actum perducta ſit, vt rem rectè intelligamus.

Secundò nihil hic Petro proprium dici, ſed ad reliquos Apoſtolos, adeoque ad Eccleſiam vniuerſalem pertinere quæ dicta ſunt.

Tertiò vt ſingulariter ad Petrum omnia ſpectare concedantur, tamen nihil hoc iuuare Pontificem vt eiuſdem poteſtatis conſors eſſe credatur.

Quartò vtut hæc omnia pertineant ad Pontificem, tamen non contineri verbis iſtis omnipotentiam illam Papalem quâ Principes deponendi ſoluendique obedientia ſubditos facultas ſit.

II. Ac primo loco animaduertendum eſt, omnia hic non in præſenti dici, ſed in futuro, adpromitti Petro grandia, ſed nondum illum in poſſeſsionem immitti, *Tu es Petrus, Tibi dabo claues regni &c.* Nondum dat claues; nondum actu conſtituit eum, vt liget vel ſoluat; ſed *dabo tibi claues*, & tunc, *Quodcunque ligaueris, &c.* Hoc agnoſcunt Anglo-Rhemenſes noſtri Theologi, *Hic*, inquiunt, *tantum- Annotat. in Matt. cap. 16. ver. 18.*

 modo

modo promiſſum eſt Petro fore, vt ſuper illum Eccleſia ſiue domus Chriſti ædificetur, quod impletum eſt Ioan. 21. Atq; hoc illi à Bellarmino perdidicerant; qui fatetur vnà nobiſcum *non datas hic Petro claues, ſed tantùm promiſſas, claues autem regni, vt principalis & ordinarius præfectus, tunc ſolum accepit, cùm audiuit, Paſce oues meas.* Ita Caietanus Cardinalis: *Modò promittit*, inquit, *poſtquam reſurrexit, dedit.* Ita quoque Stapletonus noſter *promiſſionem* hìc interpretatur *futuræ poteſtatis quæ Petri nouo nomine ſignificata eſt.* Quâ in cauſâ cùm tantos illorum authores conſentientes habeamus, & res quidem ipſa ex contextu Euangelico clareſcat ſatis, haud erit opus, opinor, grunnientis Pighij ſententiam refutare, quâ contendit *non promiſſas hic tantum, ſed datas claues; & Petrum vnà cum promiſſione claues præſenti effectu traditas accepiſſe.*

De Rom. Pont. lib.1.cap.12.

In Matt.16.

Doct. princip. l.6.cont.2.c.1. Suar. lib.3. cap.10.§.5.

Eccleſ. Hierar. lib.3.cap.9.

III. Quare ne hìc moremur, cùm promiſsio hic tantum futuræ prærogatiuæ, non præſentis effectus ſit, certè ſi rem rectè tenere velimus, diſpiciendum erit ſedulò qua ratione factum ſit, quod hìc Chriſtus futurum præfatus eſt. Potuit enim Chriſtus promittere Petro, quod tamen vni Petro peculiare, aut proprium non eſſet. Potuit ex promiſsione dare claues Petro, nec tamen ſoli Petro dare. Ergo id ſi conſtat, vbi in effectum datur promiſsio iſta, non ſolum Petrum, ſed reliquos quoque Apoſtolos in eiuſdem prærogatiuæ ſocietatem cooptatos, concidit prorſus huius argumenti vis, in quo Papalis illius ſummipotentiæ fundamentum & neruus eſt. Id autem conſtare facio ex Romano ipſo, ſiue Tridentino Catechiſmo, qui, vt datas Eccleſiæ confirmet claues regni cœlorum coniungit cum loco iſto locum alterum Matt. 18. vbi dicitur omnibus Apoſtolis; *Quæcunque ligaueritis in terra, &c.* Et alterum Ioan. 20. *Sicut miſit me pater, &c. Et inſufflauit eis dicens, Accipite Spiritum Sanctum: quorum peccata remiſeritis, &c.* Ita Catechiſmi *Elucidatur; Clauium Eccleſiæ traditarum clariſsima teſtimonia in ſacris literis habemus*, & præter hoc, quod Petro dictum eſt duo illa numerat loca quæ poſuimus. Quod ſi duobus illis locis dentur claues regni cœlorum, certè quia omnibus Apoſtolis dantur,

Ecqua ſimilis promiſſio reliquis Apoſtolis data ſit, & eſt. Matt.18. & qua ratione in effectum data.

Clauis eſt ſpiritualis poteſtas ligandi & ſoluendi &c. Toſt. Matt.16.q.74. & mag. ſent. lib.4.d.18. Reſp. ad Tort. pag. 61. Part 1. de ſym. art.10.ſect.4.

Ibidem.

dantur, ſequitur nihil hic Petro promitti quod non reliquis quoque Apoſtolis commune ſit. Atque hic Stapletonus; *Omnium*, inquit, *Doctorum ſcholaſticorum ſententiâ verba illa Matt.* 18. *Quæcunque ligaueritis, &c. his verbis ad Petrum dictis ſimilia ſunt, idemque prorſus ſonant.* Ergo omnium ſententia, claues omnibus dantur, quia clauis poteſtas eſt ligandi & ſoluendi &c. Quin & Maldonatus Ieſuita; *Video*, inquit, *omnes authores præter Originem in eâdem fuiſſe ſententia; eodem ſenſu Petro atq; alijs Apoſtolis dictum eſſe, quodcunque ſolueris, &c.* Sed aliter ille tamen diuerſo ſenſu dictum interpretatur; penes vos eſto vtrum Maldonato an omnibus authoribus maior fides habenda ſit. Cæterùm poteſtas illa ligandi atque ſoluendi cuiuſmodi tandem ſit, Suarius nobis interpres eſto; *Hæc poteſtas*, inquit, *non eſt alia niſi poteſtas leges ferendi quæ homines ligent ſeu obligent, vel etiam puniendi aut cenſuras ferendi aut ſimilia onera imponendi vel auferendi.* Planius rem explicat Caietanus, quem ſequitur in Matthæo Torto Bellarminus; *Soluere eſt non ſolum à vinculis peccatorum, pœnarum, præceptorum, iuramentorum, votorumque liberare ſed à nodis emergentium difficultatum circa ea quæ ſunt fidei declarando abſoluere. Et ſimiliter ligare eſt non ſolùm præceptis aſtringere ad ea quæ ſunt regni cœlorum; ſed etiam definiendo errores & hæreſes arcere.* Vt Pontifex iam ſub nomine *ſerui ſeruorum* Dominus ſit orbis terrarum, cuius pœnis, atque cenſuris ad priuationem vſque diadematum, & regnorum Reges & Monarchæ omnes ſubijciendi ſunt. Diſertè Toſtatus Abulenſis; *Non poſſunt ſic diſtingui litera iſtæ quaſi illa deſignet claues quæ datæ fuerint Petro, & iſtæ claues quæ datæ fuerint cæteris, ſed vtrobiq; deſignatur poteſtas quæ omnibus datur.* Quod ſi vtrobiq; dantur claues regni cœlorū, & eodē ſenſu datur reliquis Apoſtolis quo Petro antè promiſſæ ſunt, ſequitur nihil Petro proprium in clauibus eſſe, nec ergo aliquid eſſe quod Pontifex ſibi Petri nomine peculiare vendicare poſſit. Cæterùm de clauibus vtroque loco datis, & Mat. 18. & Ioan 20. audiatur Auguſtinus; *vt noueritis Eccleſiam accepiſſe claues regni cœlorum, audite alio loco*

Doct. princip. li. 6. cont. 2. c. 1.

In Mat. 16.

Lib. 3. cap. 10. §. 15.

Caiet. in locum

Vt per eum voti fragis, fœdifragis, periuris, perduellibus eſſe liceat, vt peccati hominem illum agnoſcat.

Vt declarando Antichriſtum ſciat, qui cunctam religionem ſue ſubijciet poteſtati.

Hier. in Dan. 7.

Diſt. 22. omnes.

In Mat. 18. q. 115.

De diuerſis ſerm 108. edit Louan. Citat. Waldenſ. Tom. 2. de ſacram. capite 145.

quid Dominus dicat omnibus Apoſtolis ſuis; accipite ſpiritum ſanctum, & continuo, ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur ei, ſi cuius tenueritis, tenebuntur. Hoc ad claues pertinet de quibus dictum eſt; Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cælo, & quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in cælo. Conſtat ergo iam quod diximus, vt vt Petro claues promiſſæ ſunt, vbi tamen actu dantur, non minus reliquis Apoſtolis quam Petro datas eſſe, vt nihil hîc Petro, vel per Petrum, vt diximus, Pontifici ſingulare cenſendum ſit.

IIII Quod qui vident ex duobus illis locis extra omnem contradictionis aleam conſtitutum eſſe, mittunt illa prorſus, & negant impletum ibi eſſe quod Petro promiſſum eſt, negant claues ligandi vel ſoluendi, remittendi vel retinendi poteſtate contineri; ſed *clauium* metaphora exortem, & cum nullo alio communicatam regendi atque imperandi authoritatem intelligi oportere. *Lucas Burgenſis*, paucis rem omnem exponit; qui *Claue ſummam abſolutámque poteſtatem atque authoritatem* interpretatur: *Hac enim*, inquit, *clauibus ſignificatur metaphorâ ſumpta ab eo, quòd claues domus ciuitatiſq́ penes illum eſſe ſoleant, cui eſt ſumma gubernandæ domus ciuitatíſque authoritas, cuius eſt expellere, intromittere, excludere quos iudicauerit, vnde etiam ſolent principibus, quando à ciuibus recipiuntur, & Domini agnoſcuntur, ciuitatis claues offerri.* In hanc ſententiam Stapletonus, Janſenius, Maldonatus, Bellarminus & ex illo Anglo-Rhemenſis noſtri, vt cæteros omittam, vim clauium figmento nouo, & veteribus inaudito commenti ſunt. Atqui verò animaduertendum eſt cum indigniſsima in Chriſtum blaſphemia commentum hoc eſſe coniunctum. Quid enim? An Pontifex iam Dominus conſtituitur ciuitatis Dei? An illius abſoluta in illam poteſtas eſt, claudendi vt nemo aperiat, aperiendi vt nemo claudat? Quæ cum ſolius Chriſti prærogatiua nominetur, nec vlli homini communis exiſtimanda ſit, quam ſacrilega impietate Pontifex in Chriſti locum ſubrogatur, vt qui fulmine Romano tactus ab illo ſit, mox ineuitabili neceſſitate à Chriſti regno extorris habendus ſit.

In Mat. 16.

Apoc. 3. 7.

Digitized by Google

ſit. An credita Venetis in Paulo quinto, an Sorbonæ Pariſienſi abſoluta poteſtas hæc? certè *vnus legiſlator eſt qui poteſt ſaluare, & perdere*; cuius propriè claues ſunt ſiue aperiendi cauſa, ſiue claudendi: non Petri, non Pontificis. Ianitor ille tantùm qui miniſterio claues ex Domini nutu & arbitratu occupet; non Dominus qui libitu & arbitrio ſuo. Nec ſolus ille ianitor, ſed ad vnicam portam ianitor, ſunt autem ciuitatis Dei *Duodecim portæ quas* Auguſtinus, Beda, Victorinus, Oecumenius, duodecim Apoſtolos interpretantur, quorum opera ad regnum cælorum ingreſſus patet; ſaltem in fundamentis duodecim Apoſtoli, quibus ſingulis ad intromittendum vel excludendum. Datæ à Chriſto claues ſunt. Denique vt verbo dicam, *Quid Paulus, quid Apollo, quid Cephas niſi miniſtri per quos credimus*; *non qui dominentur fidei noſtræ, ſed coadiutores ſint gaudij noſtri*, quorum non beneplacito, (mittant hoc Domino noſtro & ſuo) non, inquam, beneplacito, ſed officio, & miniſterio, fores nobis regni cælorum reſerandæ ſunt.

Iac. 4.

Apoc. 21. *Andreas Cæſarienſ. Biblioth. ſanct. Tom. 1.*

1. Cor. 3. *2. Cor. 1.*

Cæterùm qui claues illo, quem diximus, ſenſu Petro ſoli promiſſas interpretantur, vbi tandem Petro ſoli datas eſſe ſtatuunt? Hic contra communem Eccleſiæ fidem, quæ vno conſenſu docet duobus illis, quæ diximus, locis claues Eccleſiæ contineri, confugiunt ad mandatum illud ſeorſim Petro datum, *Paſce oues meas, paſce agnos meos, &c.* Atque hic quia vulgata verſione quæ vna illis authentica eſſe iubetur, parum in cauſâ proficiunt, vbi nihil aliud habetur quam *Paſce, Paſce, Paſce*, Græci contextus opportunitatem arripiunt, vbi habetur ſecundo loco, non *βόσκε* ſed *ποίμαινε*; quod Bellarmino *regium vocabulum eſt*, ex quo *colligi, ait, authoritatem Regio more imperandi*, ita ſcilicet depereunt meretricem illam, cui vendiderunt operas ſuas, vt immerſi ſtupris illius propè ſenſum omnem, & conſcientiam exuiſſe videantur, in hoc tantùm attenti vt regnum illi aſſerant, quo Regum humeris ſuperuecta pleniſſimâ in omnes, & omnia poteſtate dominetur. Atque hoc argumentum multum incruſtat Bellarminus *de Rom. Pont. lib. 1. cap. 15.* etiam Stapletonus, doctrin. princip. V.

Ioan. 21.

Recognit lib. 4. de Rom. Pont. capite 16.

lib.

lib. 6. cont. 2. cap. 10. & ipſo quoque paſcendi vocabulo oſtendunt in ſacris ſcripturis regium munus deſignari, vt vbi de Dauide dicitur, *Tu paſces populum meum Iſrael,* ſumma eſt Petrum duobus illis vocabulis ποιμὴν & προεστῶτα *Rectorem, & Præſidem Eccleſiæ*, Regibus ipſis incluſis conſtitutum eſſe. Sed quam longè petitum hoc, quando quæ alteris illis locis dicuntur, metaphoræ claui-

2. Sam. 5. 2. um tam ex vicino reſpondeant, nempe clauium vſus eſt aperire, & claudere, quibus propriùs accedunt ſoluere, & ligare, quàm paſcere, & regere. Nam qui aperit, ſoluit eum, qui incluſus quodamodo ligatus eſt.

In Mat. 16. q. 76. In Mat. 18. q. 113. Itaque Toſtatus; *Ab omnibus*, inquit, *conceditur, quòd claues ſuper peccatum habent vſum ſuum ſoluendo & ligando*, & alibi; *Clauis materialis habet exercitium claudendi, & aperiendi, cui aſſimilatur ligare & ſoluere, quia ſoluere eſt quoddam aperire, ligare eſt quoddam claudere.* Quod certè de paſcendo, & regendo dici non poteſt. Quin & idem To-

In Mat. 16. quæſt. 74. ſtatus vbi definendo explicare vult quid ſit clauis, dicit eſſe *Poteſtatem ſpiritualem ligandi, atq́; ſoluendi, quâ Eccleſiaſticus Iudex recipit dignos, & indignos excludere debet à*

Lib. 4. diſt. 18. *regno*, & hanc perfectam definitionem eſſe contendit. Et petit quidem eam à Magiſtro ſententiarum, quem ſe-

In Mat. 16. quuntur ſcholæ omnes vbi nunquàm ille cenſuram illam ſubijt; *Hic magiſter non tenetur*, qui & Bedam noſtrum in

Qu. 75. eò ſecutus eſt. Addit ille quidem *diſcernendi ſcientiam*, quàm requirit quoque Abulenſis tanquam præuiam diſ-

Ita lyra in Mat. 16. poſitionem ad debitum vſum clauium, in quâ tamen per

In Ioan. l. 124. ſe, & immediatè clauium poteſtas nulla eſſet. Quarè Auguſtinus. *Claues regni cælorum* expreſſè *poteſtatem* exponit *ligandi ſoluendique peccata. Eccleſia quæ fundatur in Chriſto claues ab eò regni cælorum accepit in Petro, id eſt poteſtatem ligandi ſoluendiq́, peccata.* Ita Theophylactus; *Cla-*

In Mat. 16. *ues intelligas*, inquit, *quæ ligant, & ſoluunt.* Eodem modo claues interpretatur Catechiſmus Romanus; ipſa luce veritatis inductus quemadmodũ ante animaduerſum eſt, vt intelligamus nonniſi tergiuerſari aduerſarios, & latebras ac ſubterfugia ſibi quærere qui pro clauium expoſitione ad mandatum confugiunt de paſcendis ouibus, vbi cum

metaphora

metaphora clauium nihil commune eſt. Sed ſtat Aduerſarijs noſtris ſententia quæ placuit olim Donatiſtis; *quod volumus ſanctum eſt.*

Sed videte hic opera illis iſta quàm non ſuccedat. Nam quod tribuit hic Chriſtus Petro, idem eodem vocabulo Petrus compresbyteris ſuis attribuit, ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ; *Paſcite, regite, qui penes vos eſt gregem Dei.* Idem quoque Paulus Epheſiorum Epiſcopis; *Attendite vobis, &c.* ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Quibus ex locis apertum eſt eandem reliquis paſtoribus paſcendi gregis Dominici poteſtatem attribui, quæ Petro mandata eſt. Bellarmini verò reſponſio, ſi conſequentia eius attendatur abſurda eſt, *Paſtores reliquos ſuam ſingulos habere partem quam regant; Attendite gregi in quo vos Spiritus Sanctus, &c. Paſcite, qui in vobis eſt gregem, Petrum verò abſolutè habere oues Chriſti ſibi mandatas, tanquam qui vniuerſo gregi præfectus ſit*, vbi cæcus impoſtor non videt tot ab illo Papas conſtitui, quot ſunt vbique Paſtores & Epiſcopi. Nam ſi ποιμαίνειν ſit regio more imperare; certè quibus dictum eſt ποιμαίνετε, ijs omnibus datum eſt regio more imperare, vt idem ſit quiſque paſtor in grege ſuo, quod Papa eſt in vniuerſo, vt abdicare magiſtratus, bonis exuere, exhærederare, & vertere ſuſque deque apud ſuos omnia, & vno verbo omnia poſſit, quod Papa poteſt indulgentias dare, ſoluere votis, iuramentis, legibus, quæ omnia vocabulo ποιμαίνειν contineri credi vult. Ita quod Pyrrhus olim de Romanâ ciuitate fatus eſt, *Regum vrbem ſibi videri*; Hoc nobis de Romanâ Eccleſiâ vſurpare licebit, *Regum Eccleſiam* aut certè pluſquam Regum *factam eſſe.* Atqui verò excludit Petrus eodem loco regalitatem hanc, quando addit Paſcite gregem, *non vt dominantes in Cleris* μὴ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, vbi prætermittendus mihi non eſt Suarij in loco illo craſſus ſtupor, & inſcitia qui vt oſtendat *paſcendi vocabulum* non ſolum verbi prædicationem ſignificare, ſed etiam cuſtodiam, & regimen, adhibet hanc Apoſtoli præceptionem; *Paſcite, regite, &c. prouidentes non coactè &c. Vbi paſcere*, inquit, *ſine dubio non ſignificat tantum prædicare, nam per ſolam prædica-*

Aug. epiſt. 48. VI.

1. Pet. 5. 2.

Act. 20.

tionem non ſolet fieri coactio, ſed ſignificat regimen ſeu gubernationem, quæ interdum nimis violenta eſſe ſolet, & ideo ſubiungit, Non dominantes in Cleris. Quo in loco illud non *coactè* putido errore interpretatur de vi coactiuâ gregi à paſtoribus non adhibenda, acſi dictum eſſet, non ita vt cogatis illos; quod manifeſtè paſsiuam habere ſignificationem primâ facie quiuis intelligit, *non vt* neceſsitate co-

ı loc. & Aqu. acti rem agatis, *coactè paſcit gregem Dei,* inquit Beda, *qui propter rerum temporalium penuriam, non habens vnde viuat, idcirco prædicat Euangelium, vt de Euangelio viuere poſſit.* Et Aquinas, *Non coactè, id eſt, non propter neceſſitatem inopiæ vitandam.* Sed eſto quod vult, annon videt homo acutus contra ſe eſſe quod dicit? *non coactè, non ita vt cogatis, cogere* ergo Petrus à Paſtore alienum eſſe vult, non permittitur vt vi agat, aut vim coactiuam adhibeat. Inde diſcrimen illud apud Chryſoſtomum inter Regem & Sa-

ε verb. Eſai. 5. 4. cerdotem; *ille cogit,* inquit, *hic exhortatur; ille neceſſitate agit, hic conſilio.* Quod ſi ad Paſtorem non pertineat cogere, certè ποιμαίνειν illud quod Paſtoris officium notat, non eſt vt Papa dominari, non eſt regio more imperare, quia Regium imperium cum cogendi poteſtate ſemper coniunctum eſt. Totum verò hoc, quicquid eſt, excludit Apoſtolus eo quod addit; *non dominantes &c.* Nam quod Suarius tantummodò *nimis violentam gubernationem* prohiberi ibi vult, diſtinctionem illam innuens inter κυριεύειν & κατακυριεύειν, ſupra diſtinctio illa abundè profligata à nobis eſt, & refellit illam Apoſtolus Paulus accom-

Cor. 1. modatiſsimè ad cauſam hanc; ὁ κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως; *non dominamur fidei veſtræ.* Atque ab hoc paſcendi munere dominium excludit Auguſtinus in ipſum hunc locum commentario, *Quid eſt aliud, ſi diligis me, Paſce oues*

ı Ioa. tra. 123. *meas, quam ſi diceretur, ſi me diligis, non te paſcere cogita, ſed oues meas, ſicut meas paſce, non ſicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam, dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua.* Et paulò poſt: *Qui paſcunt oues Chriſti, non velint eis dominari ſicut elati, &c.* Et quidem cum *Rectores Eccleſiarum* nuncupentur omnes Eccleſiæ paſtores, & Epiſcopi, & *culmen regiminis*

tenere atque exercere dicantur (quod Bellarminus affert ex Gregorio) quibus tamen dominium in Eccleſia exercere non licet, manifeſtum eſt regimen & præfecturam ouium Chriſti Petro commendari potuiſſe, vt tamen datum non ſit regio aliquo vel papali more in Eccleſiâ dominari. Porrò vnum illud ſciſcitari libenter velim, ſitne Pontifex ipſe in ouibus Chriſti numerandus, quod ſpero, dicturi ſunt. Nunquidnam verò ouis ille eſt, & non indiget paſci? Atqui verò paſcitur ille verbo, paſcitur Sacramentis, confitetur peccata ſua, contritionem poſtulat & profitetur, abſolutionem percipit reprehenditur, obiurgatur, pœnitentijs obligatur, à Synodo excommunicatur, confeſſarius illum impœnitentem non ſoluendo ligat, in quibus tota ferè clauium poteſtas ſita eſt. Hæc vero omnia exercere in Pontificem quid aliud quam ποιμαίνειν eſt? Poteſt autem iſta exercere in Pontificem, qui tamen in illum Regio more non dominatur, non imperium exercet in Pontificem. Ergo ποιμαίνειν illud quod Chriſtus Petro commendat abſque dominatu & imperio eſſe poteſt. Supereſt poſtremo loco, vt dicamus nihil hic Petro mandari, quod non alijs quoq; paſtoribus ex Patrum ſententia commune ſit; id quod proxima lectione Deo volente præſtituri ſumus.

Aug. de ouibus cap. 1. quod præpoſiti ſumus paſtores ſumus: quod Chriſtiani ſumus oues ſumus. Papa ergo quia Chriſtianus eſt ouis eſt.

P 2 PRÆ-

PRÆLECTIO DECIMA.

[Par]agraph.

I. *Multum à Patribus Petro attribui conceditur, nec ſine cauſâ, nequaquam tamen in reliquos Apoſtolos dominatum.*

II. *Oſtenditur ex patribus ideò Chriſtum Petro nominatim, & ſingulariter, idque ter oues commendaſſe: vt Apoſtolatus dignitatem, quâ trina negatione videbatur excidiſſe, reſarciret: eumq; ex conſcientiâ lapſus ad maiorem ſollicitudinem extimularet.*

III. *Docetur verbis illis,* Paſce oues, *commune omnium Eccleſiæ doctorum, & paſtorum officium deſignari.*

IV. *Varia Pontificiorum ſuffugia, & commenta, quibus argumentum prædictum ex his Chriſti verbis petitum, ſuffulcire conantur, euertantur.*

I. DE promiſsione clauium Petro factâ ſuperiori lectione dictum nonnihil eſt, eamque docuimus vbi completa eſt communiter ad omnes Apoſtolos pertinere. Quod verò eò torquent aduerſarij mandatum Petro datum de paſcendis ouibus, oſtendimus haud ita è proximo conuenire, neque eo contineri Papalem illam poteſtatem, quam à Petro ad Pontificem Romanum deriuatam eſſe contendunt. Superſuit tantùm oſtendere ex patrum monumentis nihil ibi Petro dictum eſſe quod non cum communi Paſtorum & Epiſcoporum officio coniunctum ſit. Quanquam hic dubitari non poteſt quin propter ſingularitates illas communicationum, quæ Chriſto atque Petro inuicem intercedunt, multum Petro à patribus non ſine cauſa attributum ſit. Fuit ille quod creditur natu maximus, eoque annorum quaſi authoritate quadam ad miſcendos cum Chriſto ſermones, ad quæſtiones, ad reſponſiones paratiſsimus eſt, vt quiſquam alius: fortaſſe etiam præ alijs ſtudio, & voluntate propenſiſsimus; & eſt ingeniorum quorundam mira quædam dexteritas arripiendi, vbique ex re natâ occaſiones & anſas dicendi, & faciendi quæ ex vſu & opportuna

Ita Caſſianus de Incarnat. Domini l. 3. primum docuit reſpondere vt ipſe antecederet confeſſione qui antecedebat ætate. Hieron. c. Iouin. lib. 1. Ætati datum eſt.

tuna ſunt, quæ videtur in Petro donante Deo fælicißima fuiſſe. Sed in omni tamen cauſâ quid ex quo ſequatur diligenter animaduertendum eſt. Neque enim quia Petrus in Chriſtum officioſior cæteris, ideò mox in cæteros dominatum adeptus eſt. Certè Paulus poſtquam ad munus Apoſtolicũ aſcitus eſt plus omnibus laborauit, nec tamen ingentes illi labores in principatum exierunt. 1.Cor.15.

II. Quod verò Petrum hic Chriſtus potiſsimùm, & vnicum nominatim alloquatur, manifeſta ratio eſt, & patribus ferè omnibus conclamata. Singularem ille præ cæteris in Chriſtum amorem profeſſus fuerat. *Etſi omnes offendantur in te, ego nunquam offendar; etſi mori me tecum oporteat, tamen non negabo te. Quare non poſſum ſequi te nunc? Paratus ſum tecum in carcerem, & ad mortem proficiſci animam meam pro te deponam.* Sed tamen fefellit, ille ſtipulationem hanc, & miſerâ infirmitate dominum metu præculſus non abnegauit ſolum, ſed & cum diris & execratione abiurauit. Reſpiciente verò miſericorditer Ieſu, recognoſcit Petrus erratum ſuum, & lapſum vel potius ruinam hanc triſtiſsimam, & lamentabile præcipitium ſcaturiente lachrymarum quaſi fluuio deplorat. Pœnitentiam eius acceptam habet Ieſus, eumq; inter diſcipulos angelicâ voce renumerat; *Dicite diſcipulis, eius* inquit, & nè animum deſpondeat, nè ſe exceptum putet nominatim *Petro.* Quod tamen agit hic ſolenniùs, & celebriùs, & *dicendo, Paſce agnos meos, oues meas renouat illi,* inquit Cyrillus, *Apoſtolatus dignitatem nè propter negationem quæ humanâ infirmitate acciderat labefactata videretur.* Ac de *amore quidem ter illum interrogat; ter ab illo reſponſum requirit, vt ternam illam negationem, ternâ confeßione reuocaret, vt trino dilectionis velamine lapſum trinæ negationis abſconderet.* Qua de re Cyrillus; *Quoniam,* inquit, *Apoſtolatus nomine Petrus ab ipſo Chriſto decoratus ter in tempore paßionis negauerat, iure nunc ab eo terna dilectionis confeßio petitur, vt terna negatio æquali confeßionis numero compenſetur.* Et Auguſtinus, *Redditur trinæ negationi trina confeßio, ne minus amori linguâ ſeruiat, quam timori, & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quam vita præſens,* ſit

Matt.26. Ioan.13. Luc.22. Mar.16. In locum. Ambroſ Apolog. Dauid. c.6. Ibidem. In locum.

ſit amoris officium paſcere dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare paſtorem. Ergo iam amorem quem fruſtrà promiſerat Petrus ſe teſtaturum moriendo, iubetur teſtari paſcendo. Videri voluiſti, Petre, plus cæteris amare me, quod te ſeriò dixiſſe non dubito: Sed fefellit te fiducia tui, quam primus tentatoris impetus mox difflauit & fregit. Dic verò iam etiamnũ tibi mens eadẽ manet? Id ſi credi cupias, fac vt appareat oues dominicas paſcendo, quæ non apparuit ex voto priori cum paſtore patiendo, & pro Paſtore moriendo. Cæterùm quod dixerat ante Chriſtus; *Quo ego abeo, non potes me ſequi nunc, ſequeris autem poſtea,* Denuò confirmat futurum poſtquam officio illo paſcendi perfunctus eſt. *Cum fuiſti minor cingebas te*, &c. *cum autem ſenueris*, &c. *ſignificans*, inquit, Euangeliſta, *quâ morte*, &c. denique commodiſsimè Cyrillus animaduertit; *Etſi communiter omnes diſcipuli magnâ perculſi fuerunt formidine quando Dominus tradebatur, maius tamen crimen fuerat Petri qui breuiſsimo in tempore ter Chriſtum negauit: Quoniam igitur maioris clementiâ Saluatoris peccati remiſsionem conſecutus eſt, iure ab eo maior repetitur dilectio, cui enim plus remittitur, plus amare debet; vt ipſe alibi dicit.* Ergo iam cur vnum illum alloquatur Chriſtus manifeſta ratio eſt, non vt in culmen illum ſingularitatis, & dominationis attollat, non vt dominum illum in cæteros conſtituat, ſed vt Apoſtolatus ei dignitatem quâ exciderat reſarciat, vt ex conſcientiâ lapſus ſui ad ſolicitudinem, & curam gregis extimulet, & vt hac occaſione cæteros omnes Paſtores de communi officio commonefaciat.

Ibidem.

III. Ac commune officium hic deſignari, non Petri tantummodò, ſed omnium Apoſtolorum, nec Apoſtolorum tantùm ſed omnium Eccleſiæ doctorum, & Paſtorum, præterquàm quod ex re ipſa manifeſtum eſt (quid eſt enim primo ipſo intuitu Paſtorum officium niſi paſcere oues Chriſti) communis Eccleſiæ ſententia conuincit, quod breuiſsimè ſignificat Auguſtinus; *Cum Petro dicitur ad omnes dicitur; Amas me? Paſce oues meas.* Reſpondet Suarez; *ſicut alij paſtores ad partem ſolicitudinis cum Petro aſſumuntur*

De agon. Chriſti cap. 30.
l. 3. c. 11. S. 9.

aſſumuntur ita intelligere debere ſibi eſſe dictum, Paſce oues meas, non quia quando ſimilia ferè verba protulit Chriſtus ad omnes particulares Paſtores formaliter loqueretur, vel ad Petrum in perſonâ omnium, ſed quia virtus, & ratio verborum Chriſti in omnibus paſtoribus cum proportione locum habent. Ineptè verò, cur illam nobis non das ex Euangelio proportionem? Sed tollit ipſe præmiſsis ſuis proportionem hanc, qui quia Petro dictum eſt indefinitè, *Paſce oues meas*, ideo colligit, Petro vniuerſalem principatum ouium Chriſti, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſiæ Chriſti peculiari quodam iure commendatum eſſe. Quod ſi quod Petro dicitur, idem eâdem formâ verborum omnibus dicitur, Paſce oues meas, ſequatur neceſſe eſt, ſi vis aliqua circumſtantiæ illi attribuenda ſit eundem vniuerſalem Eccleſiæ Principatum cæteris quoque Apoſtolis, & Paſtoribus deſignatum eſſe. Ac *ſolicitudo* quidem *omnium Eccleſiarum*, quemadmodum Paulo incubuit; ita ſingulis Paſtoribus incumbit, vt quiſque tanquam corporis membrum, totius corporis, quantum in ſe eſt communitatem iuuet, quo ſenſu cuique certiſsimè dictum intelligamus, *Paſce oues meas.* Quod ſi ex vi verborum illorum inferatur Petri papalis ille principatus (nam illum ſemper intelligimus) neceſſe eſt, vt fateamur ex eorundem verborum vi quia omnibus dictum eſt Paſce oues meas, quot Eccleſiæ paſtores ſunt, totidē eſſe, quibus data ſit totius Eccleſiæ principatus. Sed cur ego mihi Suarianâ reſponſione moleſtiam faceſſo, quam tollit vno verbo Baſilius: *Petrum*, inquit, *poſt ſe Eccleſiæ ſuæ paſtorem reliquit: Petro enim*, inquit, *amas me, paſce oues meas; & conſequenter omnibus Paſtoribus & doctoribus eandem tribuit poteſtatem, cuius ſignum eſt quod omnes ex æquo ligant, & abſoluunt, quemadmodum, & ille.* Nec minus diſertè Ambroſius; *Ad Petrum dicitur, paſce oues meas; quas oues & quem gregem non ſolum tunc beatus ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit; & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes.* Quod ſi communiter ille nobiſcum, & nos cum illo curam gregis Dominici mandato iſto ſuſcipimus, & cum illo ex æquo omnes paſcunt, ligant, abſoluunt, nihil euincit ex loco iſto Bellarminus, nihil

Gratis à vobis iſta dicuntur, è cerebro veſtro & in rem veſtram & proinde fidem per vos merentur nullam.

Cap. 10. S. 18.

Aut ſi alijs indefinite dictum intelligi poſſit abſque principatus conſequentia, Paſce oues meas, idem quoque Petro abſque principatu dici potuiſſe dubitari non poteſt.

2. Cor. 11.

De vit. ſolit. cap. 23.

De dignitat. Sacerdot. c. 2.

xpoſa. lib. egum l. 6. c. 3. nihil Suarez, quo Petro vniuerſalis Eccleſiæ principatus aſſertus ſit. Confirmat ſententiam hanc Gregorius Romanus Epiſcopus: *Hæc tria*, inquit, *quia Doctor Eccleſiæ habere debet* (operationem, contemplationem, charitatem) *Petrus pro omnibus aſſumitur, & an amet Redemptorem tertiò interrogatur.* Quod ſi Petrus hic pro omnibus

n Ioan. l. 12. cap. 64. aſſumitur, reſtat vt Petro nihil hic tanquam proprium intelligatur. Audiatur ea de re Cyrillus; *Hinc doctores Eccleſiæ diſcunt* (quid hic diſcunt ſi omnes Principes eſſe nequeant quod hic Petro promiſſum volunt?) *non aliter ſe*

De Sacerd. lib. 2 *Chriſto coniungi poſſe, niſi omni curâ, & induſtriâ ſtudeant vt rationales oues rectè paſcantur & rectè valeant.* Etiam Chryſoſtomus audiatur; *Hoc Chriſtus tum agebat, vt & Petrum, & cæteros edoceret quantâ beneuolentiâ ac charitate erga ſuam ipſe Eccleſiam afficeretur, vt hac ratione & nos quoque eiuſ-*

De diuerſ. ſer. 108. *dem Eccleſiæ ſtudium curamque toto animo ſuſciperemus.* Denique iterum Auguſtinus; *Non inter diſcipulos ſolus Petrus meruit paſcere oues dominicas, ſed quando Chriſtus ad vnum loquitur vnitas commendatur, & Petro primitùs quia inter Apoſtolos eſt primus.* Primus ille quidem ordine, non gradu primus tantùm, non maior Apoſtolus, nuncupa-

De vnit. Eccleſ. Extra quã non eſt paſcere ſed perdere. tione, non authoritate, non poteſtate: nam rectè Cyprianus: *Hoc erant reliqui Apoſtoli, quod fuit Petrus, &c.* ſed illud *paſcere oues Dominicas*, etſi ad Petrum vnum propter vnitatem Eccleſiæ dicitur, quam paſcendo tueri omnes debent, tamen cum Petro omnibus communi officio commendatur.

IV. Neque valet *proportionis* illud ſuffugium ſiue Suarianum, ſiue Bellarminianum, quia ſi βόσκειν & ποιμαίνειν *authoritatem* deſignent *regio more imperandi* vt ex Bellarmini recognitione dictum eſt hoc certè commune omnibus intelligi non poteſt, non poteſt omnibus dici, & falſum eſt, quod tanti authores tam conſentienter dicunt, Paſtores omnes hic officium ſuum doceri, quia tunc docerentur omnes Regio more imperare. Quod ſi βόσκειν & ποιμαίνειν eiuſmodi ſint quæ poſsint communiter ad omnes pertinere, ab omnibus præſtari, quæ ratio cogit quicquam porrò intelligi, vel Petri hîc principatum aliquem neceſſario

com-

commendari? Dicam ſi potero planiùs; ſi βόσκειν & ποιμαίνειν generale Paſtorum omnium officium notent, nulla hic probatio principalitatis eſt. At βόσκειν & ποιμαίνειν omnium Paſtorum officium notant, nam ποίμνιον quiſque tenetur ποιμαίνειν, vnuſquiſque Paſtor paſcere vt ex ijs quæ dicta ſunt manifeſtum eſt: ergo ad adſtruendum Petri principatum locus hic inaniter & otioſè adductus eſt, tantummodò per occaſionem iubetur id ſeriò, & ſedulò agere, quod vnà illi cæteriſque omnibus coniunctis ſtudijs elaborandum ſit. Ridiculum eſt autem quod ex circumſtantijs vrget Stapletonus, *agnos* exponens Laicos *& oues* Epiſcopos vt vtriſque Petrus præfectus ſit; quaſi verò non omnes electi, *Oues Chriſti* eſſe dicantur, quaſi non Laici quamplurimi ſimiliores ſint ouibus quam Epiſcopi quàmplurimi, quaſi quiſque Paſtor non habeat quos paſcat & agnos & oues: agnos hoc eſt teneriores, & infirmiores qui lacte opus habeant, & oues, hoc eſt, maturiores & firmiores qui fortiori veſcantur cibo. Magis verò adhuc ridiculus eſt Bellarminus qui vt commento ſuo viam muniat Græco contextui mendum impingit, quem tamen eodem modo tenent exemplaria omnia, & Græci omnes ſcriptores vt de veritate lectionis noſtræ dubitare non poſsit. Credi tamen ille vult primo loco dictum eſſe, τὰ ἀρνία μου, *agnos meos*; ſecundo loco, προβάτιά μου, *oniculas vel agnos meos*; tertio loco πρόβατά μου, *oues meas*. Ergo agnos bis dictos ait ad ſignificandum populum Iudaicum & Gentilem; oues verò ad ſignificandum vtriuſque populi Epiſcopos; vt omnes Petro & Pontifici intelligantur ſubiecti. Ineptè prorſus; quaſi non & Chriſtus dicat, *miſſum ſe propter oues amiſſas domus Iſrael*; Et de gentilibus loquens, *Alias oues habeo quæ non ſunt de ouili hoc*; quaſi non diuiſis operis, *Euangelium circumciſionis concreditum ſit Petro, Paulo verò præputij*. Ita porrò ludit interpretando agnos incipientes, ouiculas proficientes, oues perfectas; quaſi non cuique paſtori ſint qui paſcantur & incipientes, & proficientes: & quaſi non cuiuſque *Paſtoris* perfecti firmandis quoque perfectis opera deſudet. Iterùm agnos interpretatur populos, ouiculas Sacerdotes

Ibid. vt ſupra.

Ioan. 10.

De Rom. Pont. lib. 1. *cap.* 15.

Mat. 15.

Ioan. 10.

Gal. 2.

minores, oues Epiſcopos, & cur arietes quoque pro Cardinalibus non apponit? Sed quis ferat improbum hominem operâ ſimul ſuâ, & patientiâ lectoris abutentem; Nec tamen quicquam hic aliud loquitur quàm quod *videtur, locus videtur corruptus*, & *videtur mihi non carere myſterio*. Sed meminiſſe debuit, *quædam videri quæ non ſunt*; & quædam ipſi videri quæ videntur alijs ſuis multò ſecus eſſe. Videte verò mihi, vt rideatis, & diligenter animaduertite quid hoc myſterio ſuo lucratus ſit. Secundo loco ait dici debuiſſe; προβάτιά μου non πρόβατά μου. At προβάτιά μου minores tantum Sacerdotes ſunt. At in ſecundo tantùm loco dicitur ποίμαινε illud, quod authoritatem deſignat regio more imperandi. Ergo iam Petrus non in Epiſcopos ſed in minores tantum Sacerdotes, Presbyteros, & Parochos, regium illum principatum exercet. Exerceat ergò illum Pontifex in Presbyteros & Parochos ſuos; Epiſcopos ne attingat. Attendite quàm verè dictum ſit: *Qui vehementer premit nares, elicit ſanguinem*. Ille dum myſterium ſuum exprimere laborat, cudit fabam in Pontificem quæ haud parum moleſta futura eſt.

Quibus par in Eccleſia ius eſt, quia epiſcopatus vnus eſt cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur Cypr. Prou. 30.

Nec minus otioſè nugatur circa pronomen *meas* ex quo tamen inſignem ſibi rationem ſuppeditari gloriatur: *Nam cum abſque vllâ*, inquit, *reſtrictione addatur ad nomen oues pronomen meas manifeſtè ſignificatur eas omnes Petro commendari ad quas extenditur pronomen meas: certum autem eſt illud meas extendi ad omnes ſimpliciter*. Breuiùs rem complectitur Bonifacius octauus; *Dominus Petro, paſce*, inquit, *oues meas*, & *generaliter, non ſingulariter, has vel illas per quod intelligitur commiſiſſe vniuerſas*. Suarius qui alterum illud Bellarmini myſterium tanquam inane prætermiſit in hoc argumento pedem figit. *Cum oues*, inquit, *indefinitè poſuit omnes abſque dubio ſine diſcrimine comprehendit, quia in eiuſmodi locutionibus indefinitus ſermo æquiualet vniuerſali, & quia nulla maior eſt ratio de his quam de illis ouibus talia verba interpretandi*. Eſto verò quod tantoperè cupiunt, neque enim negamus, commiſſam eſſe Petro curam quantum præſtare poſſet vniuerſarum ouium vniuerſalis Eccleſiæ Chriſti, ſed tamen reliquis quo-

De maior. & obed. vnã ſanctã

Bellar. de Rom. Pont. lib. 2. cap. 9. ad Apoſtolicam dignitatem ſolicitudo omnium Eccleſiarũ pertinebat.

que.

que Apoſtolis eandem curam omnium pariter commiſſam eſſe defendimus. Nam & Paulo, prout ante vidimus, *omnium Eccleſiarum ſolicitudo incubuit*. De quo Gregorius: *Paulus ad Chriſtum conuerſus caput effectus eſt nationum, quia obtinuit totius Eccleſiæ principatum*. De quo Chryſoſtomus, verborum illorum factâ mentione; *Tribuitur Paulo cura omnium Eccleſiarum; non parua vnius vel duarum vel trium, ſed omnium quæ in toto orbe ſunt*. Ita illum ait, *prædicatorem fuiſſe orbis terrarum*. Et alibi: *Orbis Eccleſiam gubernaſſe*. Quin & par eſt abſque reſtrictione dici ſingulis Paſtoribus, *Paſce oues meas*, quia etſi ſinguli greges cum ſingulis Paſtoribus arctiori vinculo coniuncti ſunt, tamen ſinguli greges, ita ſingulis paſtoribus propter neceſsitudinem curandi ſunt, vt vnuſquiſque propter corporis vnitatem totius Eccleſię, quantũ in ſe eſt, rationem habere teneatur. Paſce quicunque es, inquit, oues meas, non has tantùm aut illas; ſed quoad potes has & illas, & ſiquidem vſus feret vniuerſas, Fingamus Chriſtum Archiepiſcopum Capuenſem, qui fuit aliquando Bellarminus affari voluiſſe in hoc negotio, & de officio admonere; an incommodè verba iſta vſurpaſſet, *Paſce oues meas*; an verò neceſſe foret mutare ſtilum, & dicere: *Paſce oues Capuenſes*, nè ſi diceret, Paſce, oues meas, Pontificem exauthoraret, & Bellarminum pro Petro ſubſtitueret; quando ille tamen ſe arbitratus eſt, non Capuenſes ſolum, ſed totam Chriſti Eccleſiam iuuare potuiſſe. Et quidem Chryſoſtomus Baſilium per miniſterij vocationem, *omnibus Domini bonis præficiendum admonuit*. Eleutherius verò ad Galliæ Epiſcopos ſcribere non dubitauit; *Huius rei gratiâ vniuerſalis vobis à Chriſto Ieſu commiſſa eſt Eccleſia, vt pro omnibus laboretis & cunctis opem ferre non negligatis*. Quod tanto magis Petro faciendum fuit, cui vt cæteris Apoſtolis ipſo Apoſtolatus officio non vnius Eccleſiæ cura, ſed gentium omnium ad Chriſtianam pietatem inſtitutio demandata eſt. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes*. Porrò in priuatis gregibus dicit quoque Chriſtus *oues meas*; Vt Paſtor meminerit non ſuas eſſe quas curare iubetur, ſed oues Chriſti vt tanto fideliùs

2. Cor. 11. *In 1. Reg. l. 4. cap. 4.* *In Gen. hom. 11* *In Ioan. hom. 11* *In Act. hom. 53* *De Sacerd. 1. 2.* *Epiſt. ad prouinc. Galliæ.*

officium ſuum faciat rationem ei redditurus cuius oues ſunt. Paſce oues meas, vt meas eſſe intelligas quas paſcis, etſi meas omnes paſcere non poſsis: falſum eſt enim quod ait Suarez, in his locutionibus indefinitum poni pro vniuerſali, tantum non definit has aut illas, non dicit vniuerſas. Conqueritur Deus apud Ezechielem, *Oues meæ diſperſæ ſunt*, nec tamen neceſſe eſt omnes fuiſſe diſperſas: *Factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri*; nec tamen neceſſariò intelliguntur omnes fuiſſe deuoratæ; id certè vult pro ſuis haberi debere quæ diſperſæ & in deuorationem factæ ſunt. Et certè communi vſu hæc loquendi ratio trita eſt. Quis eſt enim ouium Dominus qui plures greges habet ſub plurium cuſtodiâ paſtorum qui non cuique Paſtori dixerit, cura oues meas, ſolicitudinem habe agnorum meorum, quem tamen omnium ouium, & agnorum ſolicitudo non premit, vt planè inſulſam hîc rationem afferant, quam communis hominum conſuetudo tam planè redarguit. *Paſce oues meas*, id eſt, *ſicut meas paſce, non ſicut tuas*, inquit Auguſtinus, *nam qui hoc animo paſcunt oues Chriſti vt ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe conuincuntur amare non Chriſtum*. Denique *paſcere* quid aliud eſt principaliter & propriè quam verbum reconciliationis adminiſtrare, *nutrire doctrinâ, cibum animæ dare*. Non potuit autem Petrus ſimpliciter omnibus Euangelium prædicare. Non potuit ergo ſimpliciter omnes paſcere. Non eſt reſtricta illi opera ad certos & tamen impoſsibilis ad vniuerſos, voluntate complecti potuit vniuerſim omnes, opere non potuit omnes; indefinitè quoſcunque potuit complecti debuit, & complexus eſt.

Cap. 34.

In Ioan. l. 123.

Bernard. Caietan.

At de miſsione ad prædicandum inquit Suarez: *Ridicula eſt, & vana expoſitio.* Interim ridiculus ipſe qui neſcit potiſsimũ Paſtoris officiũ eſſe, *In paſcua diuinorũ eloquiorũ*, vt loquitur Bernar. *Greges dominicos educere: paſcere*, inquit ille, *Euangelizare eſt, fac opus Euangeliſtæ, & Paſtoris opus impleſti.* At inquit, non hoc ſolũ eſt. Immò verò ſolum hoc ſi attendas quod per ſe eſt; ſi enim aliud eſt ex accidente eſt. Illud enim ligare, & ſoluere quatenus extra prædica-

In Cant. ſer. 76. ibid. paſtus ouium in paſcuis Scripturarum tanquam in hæreditate domini de conſiderat. lib. 4.

tionem

tionem verbi eſt,& forum Eccleſiæ ſpectat, contingenter ſe habet, ligat, ſed ſi qui proteruiâ,& malo exemplo pernitioſi ſunt: ſoluit, ſed ſi qui ex ligatis per pœnitentiam reſipiſcunt. Semper autem illud paſcere locum habet, id eſt, Euangelium Chriſti prædicare, vbi videre eſt peruerſitatem Romani Pontificis, qui ad ligandum, & ſoluendum Dominum ſe conſtituit, quod autem per ſe Paſtoris munus eſt nunquàm attingit, non Euangelizat, non paſcit verbi miniſterio, immò huic negotio totus peregrinus, & hoſpes eſt; immò Pontificum quantus numerus, quibus Euangelizandi ne facultas quidem vlla fuit? quibus defuit ſcientia illa diſcernendi abſque quâ clauium rectus vſus eſſe non poteſt. *Officium Pont. quatenus Pontifex iuriſdictio potius & regimen, Stapleton. princ. doct. cont. 2. lib. 6. c. 16. pag. 239*

At *vanam, & ridiculam expoſitionem illam eſſe* quî tandem probatur? *Nam de miſsione*, inquit, *ad prædicandum, iam Chriſtus dixerat, ſicut miſit me, &c. Ioan. 20. Et dicturus erat poſtea in diſceſſu ſuo, Euntes docete, &c. Math. 28. Quid ergo opus erat pro ſolo munere prædicationis tam ſingulariter cum Petro agere tantumq́; pondus verborum, & interrogationum præmittere?* Rationes verò agendi tam ſingulariter cum Petro antè ſunt expoſitæ, vt nihil hic repetere neceſſe ſit, tantummodo retorqueatur in illum argumentū ſuum, dixiſſe Chriſtū de Poteſtate clauiū, Mat. 16. Et iterum, Mat. 18. & iam ante in loco ab ipſo citato; *Accipite ſpiritum ſanctum quorum remiſeritis, &c.* Ergo locus hic quo ſingulariter iam cum Petro agit de poteſtate clauium intelligi non debet. Quid ad rem? quod eâ de re ante dixerat? quid quod poſtea dicturus eſt? Quis neſcit de iiſdem rebus, vt impreſsiùs hærerent ſæpiùs ab illo actum eſſe, de hac re maximè quæ ad ſalutem Eccleſiæ tanti eſt; quâ noſtram in Chriſtum dilectionem teſtari debeamus. De prædicatione verò maximè dicere debuit, quia in illâ ferè ſunt omnia. *Prædicatio crucis virtus Dei ad ſalutem. 1 Cor. 1. Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere, &c.* Prædicatio fidem parit quâ inuocatur nomen Iehouæ, in quo ſalus eſt. Rom. 10. dictum eſt *væ mihi ſi non Euangelizem. 1. Cor. 9.* Non ſi non ligem vel ſoluam. Inde ad ultratio illa. 2. *Tim.* 4. *Ioan. 20. Ioan. 20.*

 Quo

Quo argumento confirmat Beda ſententiam noſtram monitionem illam Petro vni dictam pariter ad omnes Apoſtolos pertinuiſſe; Quod *Petro dictum eſt, Paſce oues meas: omnibus vtiq; Apoſtolis dictum eſt. Hoc namq; erant cæteri quod Petrus fuit.* Adiungit autem, *ſed Primatus Petro datur, vt vnitas Eccleſiæ commendetur,* ex quibus verbis videtur locus ille Cypriani à Pamelio deprauatus. Sed Bedæ primatus iſte idem eſt, ac ſi primitatem dicas, ſi liceat vocabulo nouo ſententiam explicare non nouam, nempè quâ Petrus primus, vt apud nos ſenior in numero ſociorum cui ipſo ſenioritatis nomine defertur aliquid; cui locus quidem primus ante cæteros, ſed nulla in cæteros ſingularis poteſtas eſt. Quod vidit aliquando Gardinerus noſter Wintonienſis, quia ait, *primus quauis in re non poteſt non habere primatum, ſunt enim,* inquit, *primus & primatus coniugata non ſolum vocabulo, verum etiam re.* Sic Apellem aliquem, vel Parraſium primatum habere dicit inter pictores, & Lutetiæ Pariſiorum tribui primatum in Academijs, vbi tamen poteſtas nulla eſt, quemadmodum pluribus ibi ab illo explicatum. Damus ergo Petro primatum hunc quem ſolum Christus dedit; quem & Cyprianus innuit vbi ait; *Exordium ab vnitate proficiſcitur vt Eccleſia vna monſtretur.* Exordium ergo eſt ordinis, non ſuperioritatis poteſtatis; nô aliud eſt quàm quod vult Auguſtinus; primitus hoc Petro dictum eſſe tanquam Apoſtolorum primo &c. quod omnes doceat; vni illi primo ad commendandam vnitatem datam præceptionem hanc quæ per illum ad omnes peruenire debuit, quia quemadmodum expoſuit Cyprianus; *exordium ab vnitate proficiſcitur, &c.* Commune ergo hoc omnibus, ſed ab illo vno exorſum eſt.

In Vigil. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Vide Caſaubon. pag 428. ex Ambroſ.

De vera obedient.

Iacobus & Ioannes propter ſingularem gratiam dicti ſunt à Chriſto *filij tonitrui, Mar. 3.* & Iacobus quidem quod prędicandi facultate polleret, primus Apoſtolorum ab Herode qui Iudæis ea re gratificari voluit gladio trucidatus eſt. Ioannes dilectus præ cæteris Chriſti diſcipulis, qui recubuit in ſinu Chriſti, & hauſit ab illo tanta myſteria in adita cæleſtia, & Chriſti arcana intromiſſus,

nec

nec illi tamen Dominium inter Apoſtolos conſecuti ſunt.

Quod autem ait paſcere non ſignificare *ſolam verbi prædicationem, ſed etiam regimen, & gubernationem* quam dilutum eſt quando ipſa verbi prædicatio regimen eſt & gubernatio. Regimen enim hoc eſt *regimen animarum*, vt loquitur Gregorius. Reguntur autem animæ verbo Dei, verbi prædicatione inſtituuntur ad veritaẽ, & iuſtitiam, verbi prædicatione Paſtor increpat, coërcet, terret, conſolatur, hortatur, lupos, & feras, hæreticos, & ſchiſmaticos oſtendit, & arcet, medicamento ſiue acri pungit, & rodit, ſiue blando, & molli lenit & fouet; quæ omnia petit ex *Scripturâ ſacrâ diuinitus inſpiratâ quæ vtilis eſt*, inquit, *Apoſtolus, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum* in iuſtitia *vt perfectus ſit*, inquit, *homo Dei*, id eſt, Paſtor Eccleſiæ, ad omne opus bonum perfectè inſtructus. In his regimen, præcipuè in his cuſtodia ouium eſt.

Paſtoral. lib. 1. cap. 1.

2. Tim. 3.

PRÆ-

PRÆLECTIO VNDECIMA.

I. *Priuilegiorum diſtinctio præmittitur.*
II. *Petri priuilegium ex cauſâ profectum eſſe, non ex perſona declaratur.*
III. *Ianſenij exceptio tollitur.*
IIII. *Docetur ex Patribus fidei nomine claues Petro promiſſas, Petrumque non ſuam, ſed Eccleſiæ perſonam geſtaſſe.*
V. *Reſponſio Suarij ad patrum teſtimonia Viz. Petrum ab ijs dici repræſentaſſe Eccleſiam, non quaſi Vices eius gerentem, ſed ratione ſui primatus in Eccleſiâ, accuratè refellitur.*

I *Matth.16.* POſtquam oſtendimus verbis illis Chriſti, Matth.16. *Tibi dabo claues, &c.* nihil Petro præſenti effectu datum, ſed tantummodo promiſſum, vbi verò actu datum eſt, non minus reliquis Apoſtolis quam Petro datum eſſe, adeóque mandatum illud de *paſcendis ouibus* promiſcuè ad omnes pertinere, ſequitur vt dicamus ne promiſionem quidem tanquam ſoli Petro dictam, vel factam intelligi oportere, & Chriſtum eo quod Petro tanquam principali membro dictum eſt non vnius hominis prærogatiuam, ſed commune totius Eccleſiæ beneficium deſignare voluiſſe; Quod vt luculentiùs & clariùs innoteſcat diſtinctio iuris accuratè tenenda eſt, *priuilegia quædam cauſæ eſſe, quædam perſonæ*, vt eò diligenti ùs inquirendum ſentiamus priuilegium hoc vtrumue ex perſonâ, an ex cauſâ natum ſit, id quod præſenti negotio ſcire multum intererit, quia propriùm quidem eſt quod ex perſonâ eſt, quod verò ex cauſâ eſt, commune eſt omnibus quibus cauſa communis eſt.

II Certè autem Priuilegium Petro ex perſonâ naſci non potuit in quâ nihil eſſe potuit ex quo cum Chriſtus, apud quem perſonarum nulla acceptio, cæteris præferendum eſſe iudicaret. Et quidem ex contextu Euangelico

lico manifeſtum eſt ex cauſa profectum eſſe quicquid hîc Petro gratificatus eſt Chriſtus. Suſcitante namque Chriſto, *Quem me homines filium hominis eſſe dicunt*, & reſpondentibus illis, *Alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, &c.* Iterum quærit, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Attendite non vni Petro dictum, *Quem tu me eſſe dicis*, ſed Apoſtolos omnes, *quem vos me eſſe dicitis*, interrogatos à Chriſto eſſe. Hic Petrus *os Apoſtolorum*, vt loquitur Chryſoſtomus, *& vertex chori reſpondet pro omnibus*, inquit Auguſtinus, *vnus pro vnitate*, *Tu es Chriſtus filius Dei viuentis*. Quod niſi pro omnibus reſpondit, non eſt ſatisfactum interrogationi Chriſti, qui non de Petri tantummodò; ſed de omnium diſcipulorum ſententiâ percontatus eſt, *vos quem me eſſe dicitis*, vt reliquis quoque Apoſtolis eſſet mentem ſuam effari, niſi ille communem omnium fidem ſecundum Chriſti quæſtionem quaſi communi omnium ore dictaſſet.

In Mat. hom. 55.
In Pſal. 88.

III. At hoc Ianſenius nullo modo ferendum putat, qui etſi negare non poteſt quod ex Chryſoſtomo & Auguſtino citatum eſt, prætendit tamen *non ſic accipiendum eſſe, quaſi id diceret Petrus quod omnes ſentirent, ſed quia cum omnes interrogati eſſent, ipſe ſolus reſponderit, quod omnes ſecum, aut pæne omnes ſentire putabat, & quod omnibus reſpondendum fuiſſet. Immò nemo vnus*, inquit, *omnium nomine loqui potuit, niſi qui aut corda nouiſſet, aut conſultatione præuiâ eorum ſententiam ab omnibus didiciſſet, quam hic præceſsiſſe improbum fuerit dicere.* At hoc ipſo videre eſt improbitatem hominum quibus certum eſt, ſua tueri, quæcunque illa demum ſunt, per fas nefaſque omnia. Recurrit autem hic quod dictum eſt inciuiliter reliquos Apoſtolos & contra bonos mores feciſſe, qui quæſiti Domino ſuo non reſponderint & ſinguli ſententiam ſuam dicere debuiſſent, niſi vna vnius reſponſio omnium communis ſit. Quanquam verò Petrus corda diſcipulorum noſſe non potuit, potuit tamen noſſe quod ad Chriſti quęſtionem reponeretur, *Quem vos me eſſe dicitis? Nos dicimus te eſſe Chriſtum filium Dei viuentis*, Et quidem præceſsiſſe etſi non conſultationes, quia hæc omnium profeſsio communis

Concord. c. 66.

munis fuit, tamen communicationes, & proteſtationes, ex quibus hanc omnium ſententiam intellexit, euincit illa quam ante dederat expreſſa omnium nomine reſponſio,
an. 6. *Nos credimus & cognoſcimus te eſſe Chriſtum filium Dei viuentis*, Quam vt ante datam intelligatis, Ianſenius ipſe in *ſerie Euangelicæ hiſtoriæ* quam *Concordiæ ſuæ* præfixit, & in ipſo commentarij ordine communicationem illam cum Capernaitis Ioan. 6. refert in acta ſecundi anni Chriſti, ſermonem verò hunc cum Apoſtolis habitum in acta anni tertij. Ergo iam ante, vt dictum eſt, Petrus omnium Apoſtolorum nomine confeſsionem illam ediderat, *Nos credimus, &c.* Neque quicquam valet exceptio Ianſenij, *caſtigatam fuiſſe ibi non probatam Petri reſponſionem*; Vbi ait Chriſtus, *Nonne ego vos duodecim elegi & vnus ex vobis Diabolus eſt*, quia ſaltem de vndecim illis (quia vnus tantum excipitur) comprobata & multo certiùs confirmata eſt, propter quos reſpondere iterum debuit & tutò iam potuit, *Nos credimus te eſſe, &c.* & ita vt ne Iudas quidem prorſus à numero reijciendus eſſet, cuius non modò confeſsio, ſed conſcientia quoque, & fides ſaltem hiſtorica fuit Ieſum fuiſſe Chriſtum filium Dei viuentis, quippe qui non ignoratione, ſed deſtinatâ in Spiritum Sanctum malitiâ Satanæ plenus Chriſtum prodidit. Atque vt porrò intelligamus innotuiſſe Petro diſcipulorum
Matth. 14. 33. fidem hanc, reſpiciendum ad Matthæum cap. 14. vbi poſt cohibitos ventos & ſedatam tempeſtatem, accurrunt ad illum & adorant, & dicunt, *verè tu es filius Dei.* Quin & poſtquam dæmonibus ipſis elicita fuit, atque ex-
Mar. 3. 11. preſſa confeſsio hæc, *Tu es filius Dei*, an hoc diſcipulos latuiſſe credimus, vt non multò magis agnoſcerent quod hîc Petrus confeſſus eſt. Atque Andreas quidem frater
Ioan. 1. 34. Petri qui fuerat ante diſcipulus Ioannis hoc ipſum à Ioanne didicerat, cuius hoc fuit teſtimonium, *Ieſum fuiſſe filium Dei*, quo fretus Petrum vbi conueniret admonuit, *Nos inuenimus Meſsiam qui eſt interpretatione Chriſtus*, quæ Marco & Lucæ eadem eſt confeſsio quæ Petri fuit. Ergo iam verè Auguſtinus: *Fides hæc meruit audire non homo, nam ipſe homo quid erat, niſi quod ait Pſalmiſta, Omnis homo mendax.*

Google

mendax. Thomas Waldenſis citat tom. 2. cap. 145.

Quum verò fidei nomine prærogatiua illa pronunciata eſt, certè quia fides non Petri propria, ſed reliquorum quoque Apoſtolorum communis fuit, prærogatiua fidei Petro ſingularis exiſtimari non debet. Quare Origenes quæcunq; hîc dicũtur facit Apoſtolorũ omniũ cõmunia: *Num audebimus dicere, quod aduerſus Petrum vnum non præualituræ ſint portæ inferorum aduerſus cæteros autem Apoſtolos præualituræ ſint? An ſoli Petro dantur claues regni cælorum, nec alius beatorum quiſquam eas accepturus eſt, quod ſi dictum hoc, Tibi dabo claues regni cælorum, cæteris quoque commune eſt, cur non ſimul omnia & quæ prius dicta ſunt, & quæ ſequuntur velut ad Petrum dicta ſunt omnium communia?* Attendite verò quâ ratione confirmet ſententiam hanc: *Nam hic & illud velut ad Petrum videtur dictum, Quæcunque ligaueris ſuper terram, &c. Cæterum in Euangelio Ioannis Seruator dans Spiritum Sanctum diſcipulis per inſufflationem,* ait, *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Non minus ergo quæ hic dicuntur Petro communia, reliquis cenſenda ſignificat, quam quod promiſcuè omnibus dicitur, Ioan. 20. *Sicut miſit me Pater, ita ego, &c.* Non multò verò poſt de Epiſcopis ita loquitur, *Quoniam ij qui Epiſcoporum locum ſibi vendicant vtuntur eo dicto ſicut Petrus, & claues regni cælorum à Seruatore acceperunt, docentque ea quæ ab illis ligata fuerint, hoc eſt, condemnata, etiam in cælis ligata, rurſusq; ea quæ ab illis ſoluta &c. dicendum eſt illos rectè loqui ſi pariter & facta habuerint, ob quæ dictum eſt illi qui erat Petrus, Tu es Petrus.* Ita non ad ſolos Apoſtolos, ſed Epiſcopos quoque refert donationem ſiue promiſsionem hanc vt nullo modo quicquam hic Petro, vel Pontifici peculiare ſtatuendum ſit. Quare Lyranus, *Tibi dabo claues,* inquit, *pro te & pro ſocijs tuis, non ſolum pro te, ſed etiam pro alijs; ſicut enim Petri confeſsio erat confeſsio aliorum, ita poteſtas hæc data Petro intelligitur dari alijs.* Huc quoque Bedam noſtrum adiungimus qui poſtquam claues ligandi ac ſoluendi poteſtate definiuit, de eadem ſubijcit mox; *Quæ ſoluendi ac ligandi poteſtas, quanquam ſoli Petro videatur à Domino data, abſq; vllâ tamen dubietate noſcendum eſt,* quia

IV.

In Mat. l. 1.

Ibidem.

In Mat. 16.

Hom. in Euangelium, Quem me homines eſſe dicunt. Mat. 16.

quia & cæteris Apoſtolis datur. Et alibi: *Hæc poteſtas ſine dubio cunctis Apoſtolis datur, quibus ab eo poſt reſurrectionem dicitur generaliter, Accipite Spiritum Sanctum,* Diſertiſſimè verò Toſtatus; *Licet Chriſtus ibi (Mat. 16.) poteſtatem aut dederit aut dandam innuerit omnibus Apoſtolis & miniſtris Eccleſiæ, litera tamen de ſolo Petro loquitur, & ita aliqui putarent ſoli Petro datam; hic autem (Matth. 18.) oſtendit conſequenter communiter omnibus datam, cum dicat, Quæcunque ligaueritis, & hoc fuit valde conueniens vt videatur quod claues ſunt in Eccleſiâ, & non in ſolo Petro & ſupra 16. quando ad ſolum Petrum locutus eſt, non dedit ei ſoli claues, ſed vt oſtenderet quod vſus clauium ab illis rectè tenetur, qui intra Eccleſiæ vnitatem manent, vni ſcilicet Petro locutus eſt, vt ad Eccleſiæ vnitatem loqui intelligeretur;* Et paulò poſt expreſsiùs: *Non fuit data poteſtas illa clauium ſoli Petro ibi (Matt. 16.) ſed omnibus data eſt, & tamen locutus fuit Chriſtus ſpecialiter ad Petrum, cum alias ob cauſas, tùm maxime ad oſtendendam Eccleſiæ vnitatem.* Cæterùm quod ait intelligi voluiſſe Chriſtum non in vno Petro, ſed in vna Eccleſia claues eſſe, paulò nobis attentiùs conſiderandum eſt. Certè enim illud apud grauiſsimos authores haud rarum eſt, Petrum ibi non ſuam, ſed vniuerſalis Eccleſiæ cuius ille membrum fuit, & cuius illa fides eſſe debuit, geſtaſſe perſonam. Hoc eſt enim quod ante dictum eſt *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: id eſt, inquit Ambroſius, *in hac Catholicæ fidei confeſſione ſtatuam fideles ad vitam.* Indignantur hîc & fremunt, nec aliud petram intelligi volunt quàm Petrum. At ineptè hoc; neque enim particulâ demonſtratiuâ Chriſtus vti voluiſſet, vt Petrum ipſum ſibi ipſi demonſtraret, ſi Petrus petra eſſet, non dixiſſet, *Super hanc petram*, ſed *ſuper te Petrum.* Aliud eſt enim quod demonſtratur, aliud cui demonſtratur, aliud Petro ſonare debuit, *tu Petrus*, aliud *hæc petra.* Neque aliud reipſa Patres illi quibus Petrus eſt petra. Neque enim per ſe petra, ſed per accidens, quia confeſsione ſua docet Eccleſiam de Chriſto ipſiſsimâ Eccleſiæ petrâ quid verâ fide credendum ſit; ita vt ædificandæ huic fidei quodammodò fundamentum ſit, ſic Theophylactus in

In Matth. 18. quæſt. 115.

Ibidem.

In Ephe. 2.

in Mat. 16. *Super eum ædificauit, &c. Hæc confeſſio quam* *In Math. 16.*
confeſſus es, &c. Petrus petra, quomodo reliqui Apoſtoli
cum illo fundamenta, *Domeſtici Dei ſuperſtructi ſuper fun-* *Epheſ. 2.*
damento Apoſtolorum, & Prophetarum; Id eſt, inquit Am-
broſius, *Super nouum, & vetus teſtamentum.* Qua de re Ori- *Ambroſ. ibid.*
genes; *Omnes,* inquit, *quibus non præualent portæ inferorũ,* *Origen. in Mat tract. 35.*
qui opus nominis petræ habent in ſe, id eſt, Apoſtoli & Prophe-
tæ, petra ſunt ipſi, & ſunt fundamenta eorum qui ſupea eis æ-
dificantur. Magis perſpicuè Cyrillus; *fundamentum omni-* *In Eſai. lib. 4. orat. 2. vide Caſalium. lib. 2. c. 16. p. 253. a.*
um Chriſtus; fundamenta etiam proxima, & viciniora
nobis intelligi poſſunt Apoſtoli, & Euangeliſtæ oculati te-
ſtes, & miniſtri ſermonis facti in confirmationem fidei. Er-
go per doctrinam, & exemplarem confeſſionem fidei
Petrus eſt petra; hoc eſt non Petrus ipſe, ſed doctrina, &
confeſſio Petri, eſt petra, per quam ſcilicet fundamur nè
moueamur in æternum. Neque enim Petrus propter per-
ſonam petra, quia immortalis Eccleſia in petra mortali
ſtare non poteſt. Neque fides Petri perſonalis, hoc eſt cre-
dendi, & confitendi actus petra eſt, quem neceſſe quoque
fuit Petri morte terminari, immò cuius confeſſio deficere
potuit, & defecit in Chriſti paſſione, vt optimè Abulen- *In Mat. 16. q 67.*
ſis docet, eoque excludit quò minus petra ſit. Catholica
ergo fides, & confeſſio quam confeſſus eſt Petrus, hæc
petra eſt quâ conſtructa Eccleſia nunquàm cadit. *Hæc eſt* *1. Ioan. 5.*
enim victoria quæ vincit, &c. Quis eſt qui vincit mundum,
&c. Ita præter Ambroſium Chryſoſtomus, Hilarius, Au- *In Mat. hom 5*
guſtinus, Cyrillus, Beda, Theophylactus; etiam Grego- *Aug. de vnitat eccl. c. 18. Et de diuerſis ſer. 10.*
rius Romanus *petrum Chriſtum interpretatur,* vt nuſquàm *Cyril. in Eſa. lib. 4. orat. 2.*
Petrus niſi impropriè petra ſit. Ergo iam quia fidei no- *Beda, Theophilact. in Mat. 16.*
mine Petro claues datæ ſunt, etiam reliquis Apoſtolis da- *Greg. in Pſal. pænitentiales. 5.*
tæ ſunt, quia communis reliquorum fides fuit. Et quia
vniuerſalis Eccleſiæ illa fides eſſe debuit, datæ in Petro
claues vniuerſali Eccleſiæ in Petris ſuis, hoc eſt Epiſco-
pis, & Paſtoribus exercendæ. Inde Auguſtinus; *Petro toti-* *Aug. epiſt. 165 de agon. Chriſt. cap 30. In Ioan tract. 124.*
us Eccleſiæ figuram gerenti dictũ eſt; ſuper hanc petrã ædifica-
bo, &c. Et alibi; *Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus;*
huic enim Eccleſiæ claues regni cælorũ datæ ſunt, cũ datæ ſunt
Petro, & iterum; *Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſto-*

latus ſui primatum gerebat figuratâ generalitate perſonam: Quod enim ad ipſum propriè pertinet natura vnus homo erat, gratiâ vnus Chriſtianus, abundantiore gratia vnus idemq́, primus Apoſtolus, ſed quando ei dictum eſt, tibi dabo claues, &c. vniuerſam ſignificabat Eccleſiam. Eodem modo Gregorius Romanus interpretatus eſt; *Vniuerſali Eccleſiæ*, inquit, *dicitur; Quodcunq́, ligaueris in terra, &c.* Et alibi; *Eccleſiæ claues regni cælorum tribuit, & ligandi atq́, ſoluendi poteſtatem dedit.*

In 1. Reg l. 6. c. 3 in Pſal penitent. 5.

V. Sed hoc Suarez: eò ſenſu dictum interpretatur, vt *quod datur capiti propter corpus, cenſeatur dari Eccleſiæ in ſuo capite; ſicut quod datur Regi ad regendum, regno dari exiſtimatur.* Ergo claues Petro datas eſſe ait, tanquàm *Principi Eccleſiæ*, primariâ ſcilicet, & ſupremâ, ſibique in illo gradu propriâ poteſtate, & conſequenter ab illo Pontifici Romano; reliquis verò Epiſcopis, tanquàm adiutoribus eius, commiſſariâ tantùm poteſtate, & ab illo deriuatâ. Atqui verò inanem eſſe reſponſionem hanc oſtendit Auguſtinus diſertiſsimâ ſententiâ; *Inter Apoſtolos penè vbique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam, propter ipſam perſonam quam totius Eccleſiæ ſolus gerebat, audire meruit, Tibi dabo claues regni cælorum. Has enim claues non homo vnus, ſed vnitas accipit Eccleſiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipſius vniuerſitatis, & vnitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quando ei dictum eſt, Tibi trado quod omnibus traditum eſt.* En vobis datas Petro claues non tanquam *capiti, propter corpus*, ſed tanquàm *corpori*; *non vt vni homini Eccleſiæ Principi, ſed in perſonâ Eccleſiæ, & tanquàm Eccleſiæ vnitati.* Sed vim illorum verborum aperiat nobis Thomas Waldenſis; *Petrus*, inquit, *non accepit claues propter ſuum meritum perſonale, nec tunc perſonam eius Dominus attendit, ſed in vnâ maſſâ totam Eccleſiam: quantò magis non meritum Petri, ſed nec ſuppoſitum*, pro cuius rei confirmatione ſententiam illam Auguſtini adducit quam poſuimus. Et mox ex alio loco citat quod ante diximus; *fides hæc meruit audire nō homo; nam ipſe homo quid erat niſi quod ait Pſalmiſta; Omnis homo mendax:* ſubiungit; *Eccè ſi merita Petri penſantur comparata ad Deum mendacia ſunt, &*

De diuerſis ſerm. 108.

De Sacrament cap. 145. Tom. 2

peccata,

peccata; ſed ergo non Petrus homo ibi attenditur, qui ſtatim poſt Satanas eſt dicendus, huic Petro futurus repentè diſſimilis, ſed fides Eccleſiæ reſonans per os Petri, & in hac fide Petri recompenſationem accepit vniuerſalis Eccleſia clauium poteſtatem. Manifeſtum ergo eſt non Petro tanquàm Principi Eccleſiæ, ſed tanquam Eccleſiæ claues datas eſſe; non *Petri ſuppoſitum*, ſed in eo *maſſam vniuerſalis Eccleſiæ ſpectare debere.* Atque hoc iterùm confirmat Auguſtinus; *Si in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues, &c.* Ergo in Petro myſticum aliquid intelligendum deſignat Auguſtinus, quod certè cum Suarij ſenſu illo conſtare non poteſt; Myſterium in ſignificatione ſitum eſt; tolle ſignificationem, & myſterij ratio intercidit. Quia ergo myſterium hìc eſt, non Petrus perſonam ſuam ſed vicem Eccleſiæ gerit, & ita illam repræſentat, vt abſque hoc myſterio non diceret ei, *Tibi dabo claues, &c.* Quare addit: *ſi hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia; ſi autem & in Eccleſia ſit, Petrus quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit.* Reſpondet Suarez ad partem priorem; *Si hoc Petro tantum dictum eſt, id eſt*, inquit, *pro ſuâ perſonâ tantum, non facit hoc Eccleſia, quia nimirum cum Petro extincta fuiſſet hæc poteſtas.* At nondum extincto Petro, necdum ergo extinctâ poteſtate Petri, ſi hoc Petro tantum dictum eſt, non feciſſet hoc Eccleſia; ſed fecit hoc Eccleſia viuente Petro, quemadmodùm ad Corinthios videre eſt. Ergo adhuc viuente Petro, non hoc illi tantùm dictum intellectum eſt. Quodſi viuente adhuc Petro, non illi ſoli pro perſonâ ſuâ tantùm dictum eſt nullus hîc Petri principatus intenditur, quia commune eſt, quod intenditur, & Papalis ille Principatus multis communis eſſe non potuit. Porrò animaduertendum eſt Petrum hic illis inſtar eſſe Romani Pontificis, vt cum Petro Romani omnes ordine ſuo Pontifices politicè tanquàm vna perſona ſint, cui dictum ſit, Tibi dabo claues, &c. vnde illud Innocentij quarti; *Nobis in perſonâ beati Petri dictum eſt: Quodcunque ligaueris, &c.* Et Bonifacij octaui; *Eccleſiæ vnius & vnicæ vnum corpus, vnum caput, non duo capita quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet, &*

In Ioan. tract. 50.

1. Cor. 5.
2. Cor. 2.

Sext. de ſent. & re iudicata ad Aplica.
Extrau. de maior. & obed. vnam ſanctam.
Bellarm. cont. Barclai. p. 2-3.
Suarez. l. 1. c. 3. § 4.

& Chriſti vicarius Petrus Petrique ſucceſſor. Nempè Chriſtus & Petrus, & Papa vnum, & idem, ſi placet, caput ſunt. Conuenio verò hic Suarium ex Auguſtino, ſi Petro tantum hoc dictum eſt pro ſuâ perſonâ politicâ non facit hoc Eccleſia; facit autem hoc Eccleſia. Ergo non eſt dictum Petro tantùm pro ſuâ perſonâ politicâ, quod per illos tamen hoc modo ſoli Petro dictum eſt, quia per hoc Princeps, & Dominus in Eccleſiâ conſtitutus eſt, qui illis præter illum nemo eſt, & ſenſu illo præter vnum eſſe non poteſt. Quia verò non ſoli Petro, non ſoli Pontifici, certè etiam Apoſtolis dictum eſt, dictum eſt Epiſcopis, vniuerſali Eccleſiæ in miniſtris ſuis dictum eſt, & quod colligit Auguſtinus, Petrus quando claues accepit, ſanctam Eccleſiam ſignificauit. Agnoſcit Suarez, *Petrum repræſentaſſe Eccleſiam, non tamen quaſi vices eius gerentem, ſed ratione ſui primatus & ſedis.* At ſi Auguſtini locum inſpexit Suarez, impudenter hoc ab illo confictum eſt. Nam apertè ille; *Vnus malus Iudas ſignificat corpus malorum, quomodo Petrus corpus bonorum, corpus Eccleſiæ.* At Iudas non ſignificat malos ratione primatus alicuius, vel ſedis, vel poteſtatis quam habet inter malos; nec ergo Petrus ratione primatus vel poteſtatis inter bonos. Id quod magis adhuc manifeſtũ eſt in ijs quæ ſequuntur *Corpus*, inquit, *Eccleſiæ, ſed in ſolis bonis. In Petri perſona ſignificati ſunt in Eccleſia boni, in Iudæ perſona ſignificati ſunt in Eccleſia mali.* Eccleſiam contra quam portæ inferorum non præualebunt, in ſolis bonis conſtituit: nam contra malos qui in Eccleſia ſunt, non vt membra, ſed vt *mali humores in corpore*, (vt idem alibi loquitur) portæ inferorũ præualituræ ſunt, eoſque in Iudâ proditore repræſentari vult, in Petro verò ſolos bonos. Atqui verò primatus ille quem Suarez vult non in bonos tantũ eſt, ſed eſt ſuprema poteſtas in bonos, & malos, cuius in verbis Auguſtini nè vmbra quidem eſt. Ergo in Petro propter primatũ hunc repræſentatio Eccleſiæ intelligi ibi non poteſt. De merâ ergo ſignificatione loquitur Auguſtinus, qua eminenter malus ſignificat omnes malos, eminenter bonus ſignificat omnes bonos, & tantũmodò Petrus quod primus eſſet Apoſtolorum, & præcipuus,

cipuus quomodo ante diximus ait ſignificationi bonorũ, quemadmodum, & Iudas quod vltimus, & peſsimus ad ſignificationem malorum electus eſt.

PRÆLECTIO DVODECIMA.

I. *Capita ſequentis diſputationis breuiter attinguntur.* Paragraph.

II. *Aſſeritur nullum in S. S. veſtigium extare alicuius priuilegij, quod à Petro ad Romanum Pontificem perpetuâ temporum ſucceſsione decurrat.* I.

III. *Nomen ipſum Petri (quod Chriſtus Simoni Bar-Iona impoſuit, ad Pontifices accommodari non poſſe, in quorum Catalogo nemo Petrus occurrit.*

IV. *Verba illa,* Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam, *Pontifici nullo modo conuenire.*

V. *Verba illa,* Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, *ad ſeriem Pontificum aptari non poſſe.*

VI. *Portas inferorum, id eſt, vt nonnulli interpretantur, peccata morum, & ſpurciſſima flagitia aduerſus Pontifices præualuiſſe.*

VII. *Portas inferorum, id eſt, vt alij interpretantur, hæreſes aduerſus eoſdem præualuiſſe, demonſtratur.*

VT oſtenderem verba Chriſti, Matt. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo &c.* Pro monarchiâ Pontificiâ nihil facere, quatuor mihi comprobanda ſuſcepi, ſuoq; ordine pertractanda. Ac duo quidem hactenus docuimus ſatis, opinor, luculenter & clarè; primò, nihil loco illo actu datum eſſe Petro, ſed tantummodò promiſſum, quod vbi alijs locis actu completum eſt, non minus ad reliquos Apoſtolos quàm ad Petrum pertinuiſſe compertum eſt. Secundò, dictum eſt, ne hunc quidem locum, ſic accipiendum, quaſi hæc omnia Chriſtus, cum reliquorum eadem fides eſſet, de ſolo Petro intelligi voluerit: ſed prout ille omnium nomine reſpondit, ita omnium nomine, & quidem in Catholicæ Eccleſiæ perſonâ, Chriſti pronunciatum accepiſſe; tantummodò ad ſigni- I.

ficandam & commendandam in illa poteſtate vnitatem, ſingulare Petri nomen adhibere voluiſſe. Duo iam ſuperſunt huic negotio expediendo neceſſaria, primò, vtut ſoli Petro locutus fuerit Chriſtus, nihil tamen iuuari Romanum Pontificem, vt ad ſe rapiat quæ Petro dicta ſunt. Secundò, vt ad illum quoque omnia referantur, non tamen hic contineri quod petit, vt ille orbis totius Chriſtiani ſummus Princeps & Monarcha ſit.

II Quæramus ergò primo loco, quo iure Pontifex Romanus Petri plumis ſe conueſtiat. Grandis hic res agitur & maximi momenti cauſa eſt; cedant ergò tabulas & diplomata, ex quibus liqueat ius hoc Pontifici conſtare, vt ad illum pertineat quicquid priuilegij Petro conceſſum eſt. Neque hic nugas nobis & fumos vendant; niſi enim clariſsimis argumentis certiſsimum hoc & exploratiſsimum fiat, ſtare nobis Papalis illa ſtructura non poteſt. At in Euangelijs de Petro legimus, de Romano Pontifice nihil legimus, ne in actis quidem Apoſtolicis, ne in Apoſtolorum epiſtolis, ne in illâ certè ad Romanos, ne in ipſis Petri Epiſtolis, qui de obſeruantiâ Regis & eorum qui à Rege mittuntur, piè præcipit, pro ſucceſſoris ſui obſequio, ne lapillum quidem mouet. Graue hoc præiudicium; neque enim credibile eſt, vbi de obtemperandis Principibus, & magiſtratibus, tam ſolicitè præceptum eſt, de Vicario Chriſti qui talis ac tantus, omni Principum ſublimitate ſublimior, Principibuſque ac populis vitæ æternæ clauiger futurus eſſet, profundo ſilentio tranſactum eſſe, potuiſſe ſubditos moueri parere Regibus, Reges non moueri parere Vicario Chriſti; quos certum eſſet alioqui non parituros. Quod ſi veterum porrò monumenta conſulamus, qui locum hunc Euangelij commentarijs ſuis explicarunt, planè mirabimur nemini vnquam in mentem veniſſe, agi hic de priuilegio quod ab Apoſtolo Petro ad Romanum Pontificem perpetuâ temporum ſucceſsione, tranſire ac decurrere debuiſſet. Videte ſuperiorum quorundam ſeculorũ lucubrationes in Euangelia, & quanta ibi mentio Pontificis, omniaque in hoc loco ad illius poteſtatis amplificationem exaggerata?

Veterum

Veterum ne vnus quidem eſt, cui quicquam hic de Pontifice ſucceſſore animaduerſum eſt, quod nunquam certè prætерijſſent, ſi quidem illis Papalis iſta in Petri locum & Apoſtolatum ſubſtitutio perſpecta eſſet. Qui verò Petrum hic exponunt, vt ante vidimus, totius Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinuiſſe, nihil illis minus in animo quam reſtringere ad membrum aliquod, quanquam principale, quod totius corporis commune futurum eſſet. Et quis illos credat Petro Eccleſiæ perſonam dogmate peregrino, & nouo affingere voluiſſe, ſiquidem didiciſſent & receptū eſſet, quod nunc Doctores Pontificij tam obſtinatè defendunt, Petrum non communiter Eccleſiæ figuram & vicem obijſſe, ſed in perſonâ propriâ ſuâ futurum deinceps in Romano Pontifice totius Eccleſiæ principatum, inque ipſos mundi Monarchas, monarchiam inchoaſſe.

Porrò in ipſo loco videntur mihi quædam haud ſatis commodè, cum illâ ad Pontificem applicatione conuenire poſſe. Primum illud quod dictum eſt, *Tu es Petrus.* Imponit Simoni nomen Petri, atqui verò Pontifex non eſt Petrus. Percurre ſeriem Pontificum, & in toto ordine, nemo Petrus occurret tibi. Quod ſi Chriſtus hic Papatum inſtituat, neque hic vnum illum Petrum, ſed in illo Petro ſucceſſores omnes Romanos Epiſcopos intellectos velit, qui fit vt ſimul cum loco Petri non nomen quoque deſcendat? Vt quemadmodum Aegyptij Reges Pharaones, Imperatores Romani Cæſares, & Auguſti, ita Pontifices Romani omnes Petri communi vocabulo nuncupati ſint. Paulos legimus, & iſte qui nunc eſt quintus eſt. Ioannes ſupra viginti tres quatuorue numeramus. Petrus in illo numero, ne vnus quidem inuentus eſt, vt hoc nomen tanquam infeſtum maximè auerſati eſſe videantur, quaſi cum quo nihil prorſus commune habeant. Vno verbo, vt dicam, cui loquitur hic Chriſtus, dicit ei, *Tu es Petrus, tu vocaberis Petrus,* Romani Pontifices non dicuntur Petri, Ergo verba iſta Chriſti ad Romanos Pontifices accommodari non debent. III.

IIII. Secundò ſuper hanc *petram*, inquit, id eſt, ſi Romæ credimus, *Super te Petrum, ſiue hunc Petrum ædificabo Eccleſiam meam.* Pronominis verò demonſtratiui, vbi rei demonſtratæ additur, vis nonnunquam excluſiua eſt, vt quod de hoc Petro dicitur, alteri Petro, ſiue alteri cuiquam intelligatur minimè conuenire, ac proinde ſuper aliquem Petri ſucceſſorem, Eccleſia ædificata excogitari non poſsit. Et quidem ſuper Petrum Eccleſiam ædificatam eſſe: haud rarum eſt, apud Patres, quo id ſenſu ante dictũ eſt, ſuper Romanum verò Pontificem ædificatam eſſe: nemo vnquam dixit; nemo vnquam̃ talis monſtri geniturам profiteri auſus eſt. Quâ in re fraus Aduerſariorum, & impoſtura ſingularis animaduertenda eſt, qui Petrum, Petrum inclamant, ſuper Petrum fundatam Eccleſiam, teſtimonia Patrum ingeminant, de Romano Pontifice, facto Eccleſiæ fundamento, de Eccleſiâ ſuper illum ædificatâ nihil omninò proferre poſſunt. At hoc eſt quod nos petimus, quod idoneis argumentis confirmatum nobis eſſe cupimus, poſt Petrum intellectum eſſe Romanum Pontificem, ſuper quem ædificanda Eccleſia credenda ſit.

V. Tertiò, *Portæ inferni non præualebunt aduerſus eam*; hoc eſt Eccleſiam in Petro fundatam, inquit Suarez, *tanquam in petrâ firmiſſimâ & perpetuò duraturâ.* Hîc verò tenendum eſt quod gloſſa ordinaria ex Origene animaduertit, qui illud exponens, *Non præualebunt aduerſus eam; Quam,* inquit, *eam? Vtrum aduerſus petram ſuper quam Chriſtus ædificat Eccleſiam; an aduerſus ipſam Eccleſiam? An ad vnum & idem referatur quod ipſum ſit Petra & Eccleſia? Hoc autem,* inquit, *arbitror eſſe verum; neq; enim aduerſus petram ſuper quam Dominus ædificat Eccleſiam, neque aduerſus Eccleſiam portæ inferi præualebunt. Quod ſi quis fuerit aduerſus quem præualituræ ſint portæ inferorum, talis neque petra fuerit, ſuper quam Chriſtus ædificat Eccleſiam, neque quæ à Chriſto ſuper petram ædificatur Eccleſia. Nam & petra ſerpenti eſt inacceſſa, validiorque portis inferorum ipſi reluctantibus, vt ob robur ipſius portæ inferorum nihil valeant aduerſus illam, & Eccleſia tanquam Chriſti ſtructura, qui ædificauit domum*

Tract. in Matt. 1.

mum ſuam prudenter ſuper petram, non recipit portas inferorum, &c. Veriſsimum hoc verbum eſt, promiſsionem Chriſti ad vtramque petram ſimul & Eccleſiam eſſe referendam, quia niſi petra ipſa ſuper quam ædificatur Eccleſia ſit immobilis, inconcuſſa ſuper illam Eccleſiæ ſtructura ſtare non poteſt. Talem ergo oportet petram eſſe, qualem Suarez deſcribit, *firmiſsimam*, ſcilicet, *& perpetuò duraturam.*

Atqui verò non eſt Pontifex firmiſsima petra, & perpetuò duratura, vt contra Eccleſiam ſuper illum ædificatam portæ inferorum non præualeant, nam portas inferorum aduerſus Pontifices præualere dubitari non poteſt. Siue enim *portas inferorum* per nudam metaphoram interpretemur, quæ in infernum intromittunt, peccata ſcilicet, & hæreſes & ſpirituales nequitias, vt Origeni, Hieronymo, Bedæ, alijſque compluribus viſum eſt, ſiue vniuerſim per metaphoricam ſynecdochen regnum Satanæ eiuſque potentiam cum Maldonato, Ianſenio, multiſque alijs intelligamus, eòdem res redit, per Satanæ potentiam fractos eſſe Pontifices, & per peccata, & hæreſes in perditionem abijſſe negare non poteſt. Ac de Pontificum plurimorum flagitioſiſsimis moribus, nè quidem apud aduerſarios ipſos quæſtio eſt, è quorum libris intelligimus fuiſſe ex illis *portenta, ac monſtra teterrima.* Ioan. 13. hominem *probris omnibus, & turpitudine contaminatum. in adulterio confoſſum interijſſe.* Syluestrum ſecundum *totum ſe diabolo tradidiſſe*; *ſic Platina*: Ioannem viceſimum tertium, *vulgariter dictum diabolum incarnatum*, quod eſſet *damnabili vita, nefandis moribus, vas omniũ peccatorum, infamiæ ſpeculum, malitiarum omnium profundus adinuentor.* Sed quid ego ſingulos conſector, quando Genebrardus tam liberè agnoſcat *per annos ferè. 150.* Pontifices circiter. *50. Apotacticos, Apoſtaticoſuè* fuiſſe *potius, quam Apoſtolicos.* Quod confirmat quoque Baronius, qui initio ſeculi decimi, *abbominationem deſolationis*, per illa tempora in *templo Dei* recognoſcit, & propter *flagitioſa illa* quæ fine noni ſeculi deſcripſerat, præmunit lectorem nè fortè *puſillus ſcandalum* in progreſſu patiatur, vbi anno duodecimo,

VI.

Plat. in Benedict 4. & in Chriſtoph. 1. & Gregor. 6.

Conſtantienſ. concil ſeſſ. 7. & 10. & 11.

Lib. 4. ſeculo. 10. Paulo poſt initium.

Tom. 10. anno 900. §. 1.

Anno 912.§.8. mo, Quæ tunc, inquit, *facies ſancta Romana Eccleſia? quàm fœdiſsima? cum Roma dominarentur potentiſsimæ æquè ac ſordidiſsimæ meretrices; quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi; Et quod auditu horrendum, & infandum eſt, intruderentur in Petri ſedem earum amaſij, Pſeudo-Pontifices, qui non ſunt niſi ad conſignanda tanta tempora in catalogo Romanorum Pontificum ſcripti. Quis enim à ſcortis huiuſmodi intruſos ſine lege legitimos diceret Romanos fuiſſe Pontifices? &c. Qualeſnam veris delectos ab hiſce monſtris presbyteros, & Diaconos Cardinales fuiſſe, cum nihil tam naturæ inſitum ſit quam ſibi ſimilem generare?* Hîc verò inſanum Baronij ſtuporem videre eſt, qui cum apertum hîc ſit, *portas inferorum* aduerſus petram illorum Pontificem Romanum præualuiſſe, per illum tamen credi vult confirmatam Eccleſiam, vt portæ inferorum aduerſus illam nunquàm præualeant; qui vbi omnia videt per Pontificem miſerâ ſqualere fœditate, *Aſpergi ſordibus, putoribus infici, ſpurcitijs inquinari, ex hiſq; perpetuâ infamiâ denigrari;* non habet tamen oculos, vt animaduertat ibi certè petràm intelligi non poſſe, contrà quam portæ inferorum præualituræ nunquam ſint.

VII Iam in iſtis moribus, pietatis & fidei quæ habita ratio Sap. 1. cenſenda eſt? Veriſsimum illud eſt; *Peruerſæ cognitiones ſeparant à Deo, in maleuolam animam non ingreditur ſapientia, nec habitat in corpore ſubdito peccatis; ſpiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & aufert ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu.* Quare monſtra illa luxuriarum, & turpitudinum quis credat fidei ac ſapientiæ diuinæ oracula eſſe potuiſſe? Ac ſequentia quidem ſecula portenta plerumque non minus horrenda atque infauſta progenerarunt, in quibus vitiorum, & ſcelerum quaſi cloacis, & camerinis credi non poteſt ſpiritum veritatis, & gratiæ habitare voluiſſe. Cæterùm per hæreſin Satanæ regnum aduerſus Pontificem præualuiſſe, Honorius nobis exemplum eſt, qui ſynodo ſextâ Conſtantinopolitanâ hæreſeos Monothelitarum reus peragitur, & comprobatur, vbi Act. 13. ita legimus; *Inuenimus per ſcripta quæ facta ſunt ab Honorio, ad Sergium, quia in omnibus eius mentem ſecutus eſt, &*

impia

impia dogmata confirmauit. Et ſcripta illa cuiuſmodi fuerint oſtendunt vbi memorant *dogmatica ſcripta facta ab Honorio ad Sergium ſuper hac præſenti dogmaticâ quæſtione.* *Act. 12.* Quare poſtexclamãt,*Sergio hæretico anathema,Honorio hæretico anathema*, & iterum, *Honorio anathema*, Et hæc omnia confirmat Leo ſecundus, epiſtolâ ad Conſtantinum quartum Auguſtum. *Anathematizamus Honorium qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrinâ luſtrauit, ſed prophanâ traditione, immaculatam fidem ſubuertere conatus eſt.* *Act. 16.* *Act. 17.* *Act. 18.* Etiam in ſynodo Nicænâ ſecundâ, condemnatur *pro impio pietatis impugnatore.* Commemorat quoque damnationem hanc ſynodus. 8. Conſtantinopolit. *Act. 7.* Vbi *Honorium* teſtatur Adrianus *ſuper hæreſi accuſatum,* & *anathema ei dictum ab Orientalibus*, & ad eam ſententiam conſenſum Romani Pontificis acceſsiſſe. En ergò vobis tria concilia generalia, duoſque Romanos Pontifices de Honorij propter hæreſin dogmaticè aſſertam, iuſtâ damnatione conſentientes. Non eſt hîc proprius hâc de re dicendi locus; quare aliud exemplum nonniſi vnum addo, Ioannes nimirum 23. De quo teſtatur Concilium Conſtantienſe, quod *ſæpè & ſæpiùs coram diuerſis prælatis, & alijs honeſtis, & probis viris pertinaciter dixit, aſſeruit, dogmatizauit, & aſtruxit vitam æternam non eſſe, neq; aliam poſt hanc, & animam hominis cum corpore humano mori, & extingui, ad inſtar animalium brutorum, & ſemel mortuum non eſſe in die nouiſſimo reſurrecturum.* *Seſſ. 11.* Vbi videre eſt Romanum Pontificem non modo hæreticum eſſe poſſe, ſed horrendâ quoque apoſtaſiâ ad fidei Chriſtianæ abnegationem prolabi, vt inſanire cum ratione videri debeat, qui contrà illum credat, portas infernales præualere non poſſe. Neque verò negant aduerſarij priuatim, illum extra cathedram hæreticum eſſe poſſe; quippè in cathedrâ tantum, id eſt, in decernendo & definiendo, ab hæreſi munitum eſſe; hoc in gratiam Eccleſiæ, non ipſius Pontificis conſultum eſſe, vt illa ſemper de fide ſecura ſit. Nihil ergò impedit, quominus Pontificem ipſum hæreſis expugnet, & ad inferos deturbet. At non ſic Petrum illum qui factus eſt Eccleſiæ petra, qui non modo in gratiam

Eccle-

Eccleſiæ, ſed & pro ſalute ſuâ confirmatus eſt, vt contrà illum portæ inferorum non præualerent. Atque hoc illud eſt quod Chriſtus promiſit; *Oraui pro te nè deficiat fides tua.* Quid enim ad Petrum fuit, quod ei dogmatica fides non deficeret, qua doceret alios? Immò illam ei fidem non defecturam ſignificat, quâ ipſe ad ſalutem, & regnum Chriſti perſeueraret. Ita nec Eccleſia ſuper petram ædificata intelligenda eſt, quod dogmatica ei fides non vacillet, ſed illâ ſingulorum propriâ nunquàm perituri ſint qui vera Eccleſiæ membra ſunt, nunquàm deficiat eis fides illa ſingularis, & priuata cui cæleſtis regni promiſsio facta eſt. Peſsimâ ergo fide Pontifex in Petri locum ſupponitur, quorum ita diſpar eſt ratio, vt proueharur alter in regnum, alter eat in præcipitium, contrà alterum Satanæ potentiâ nihil poſsit ad interitum, contra alterum tantum poſsit vt demergat in infernum; denique Bellarminus de *Sixto quinto* poſt mortem interrogatus, quid factum exiſtimaret, reſpondit teſte VVatſono; *Quantum capio quantum ſapio, quantum intelligo, deſcendit ad infernum*; Et aliâs. *Qui ſine pœnitentiâ viuit, & ſine pœnitentiâ moritur, procul dubio deſcendit ad infernum.* Bellarmino ergo iudice portæ inferorum prualent contra Pontificem. Pontifex ergo petra non eſt, contra quam Chriſtus dixit, portas inferorum non præualituras. Poſtremò *tibi*, inquit, *dabo claues regni cælorum*; Claues verò Regni cælorum duæ numerantur, ſcientiæ altera, altera poteſtatis, quarum prior poſteriori ducatum præbet, quia poſterior abſque priori præceps, & cæca eſt: vtramque hanc clauem Petro dat, ſcientiam diſcernendi, poteſtatem iudicandi, vt non per diſciplinam modo in foro Eccleſiæ iudicando, ſed & per doctrinam in foro conſcientiæ prædicando, ligaret & ſolueret. Ita Chriſtus *aſcendens in altum dedit dona hominibus, Apoſtolos, Paſtores, Doctores*, donis ſcilicet inſtructos ad miniſterium illud cui deputati ſunt. At claues iſtas, & dona Pontifex non habet. Qui dixit Petro, Tibi dabo claues, Pontifici clauem ſcientiæ nunquàm dat, nec ergo poteſtatis, quæ poteſtatis exercendæ fundamentum eſt, Chriſtus autem ſine fundamento ædificare

non ſolet. Non ſit in Petri, vt aiunt, locum ſuccedens, ad prędicandum Euangelium doctior vel inſtructior. Immò quot ex illis ſtupidi homines ſunt & excordes, & cæleſtium myſteriorum incapaces; in quos non inſpirat Spiritus Sanctus, quod Eccleſiæ dictant, ſed ingerunt tantùm conſulti Cardinales? An verò ſtipitibus iſtis & truncis dixit Chriſtus in perſonâ Petri, *Tibi dabo claues, &c.* Breuiter non dat Chriſtus Pontifici quód dedit Petro; proinde quod Petro dictum eſt Pontifici dictum intelligi non poteſt.

Illud addo quod ante dictum eſt, Petrum hic vniuerſalis Eccleſiæ figuram & perſonam exhibuiſſe. Eò fit, vt claues toti Eccleſię & omnibus per totum orbem Epiſcopis, communes ſint, ab omnibuſq; Eccleſiæ miniſtris paſſim & pariter exerceantur. Atqui verò Pontificem Romanum ad figurandam Eccleſiam conſtitutum eſſe, quis vnquam dixit? Quis docuit? Immò typus & figura ſemper rem illam antecedit, cuius typus eſt. Ita Petrus qui vnitatis Eccleſię per totum orbem diſperſæ, & in vna fide coniunctæ typus eſſe debuit, huius Eccleſiæ vocationem anteceſſit, non ita Pontifex; nunquam ille typus Eccleſiæ dictus eſt: quodſi verba iſta Petro in perſonâ Eccleſię dicta ſunt, Pontifici verò perſona Eccleſiæ nunquam deſignata eſt, credi certè non poteſt pertinere ad Pontificem, quæ hic Petro dicta ſunt. Quin potius rapit ille ſibi poteſtatem hanc & improbè vſurpat ſub Petri nomine, quam exercere nunquam cum Petro edoctus eſt, & ita longè abeſt, vt ſibi dictum accipiat quod hic Petro promiſſum eſt, vt potius audire debeat quod paulò poſt Chriſtus, nonnihil iam mutato Petro reſpondet, *Vade poſt me Satan, ſcandalum es mihi, non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed ea quæ ſunt hominum*, quippè qui ſpiritualis imperij prætextu poſthabito cœlorum regno, totus inhiat in regnum terrenum, & ſuprà Regum omnium diademata, omnemque huius mundi poteſtatem & gloriam, Petri pennis per hypocriſin fretus, ſuperuolare contendit. Atque hactenus ex ipſo diplomatis huius contextu laruam Pontifici detrahimus, ſequitur vt Suarianos colores quos

huic Pontificiæ Monarchiæ inducit, proxima, quoad fieri poteſt, lectione diluamus.

arlaam pag. 04.207. Nil. pag. 55. Denique non pertinere ad Romanum Pontificem vniuerſam Petri poteſtatem, nec habere illum totius Eccleſiæ poteſtatem, illud argumento eſt certiſsimo, quod cum Petrus Epiſcopos ordinauit Antiochiæ, Alexandriæ Marcum, & poſt ſe Romæ Clementem, nunquam auditum eſt, hoc Pontificem facere potuiſſe. Nunquam ille Metropoliticorum & generalium Epiſcoporum quẽquam conſtituere potuiſſe credebatur. Nunquam ille poſt ſe futurum Epiſcopum deſignare vel ordinare potuit.

PRÆ-

PRÆLECTIO DECIMATERTIA.

I. *Argumentum primum Suarij, quo contendit Petri primatum in Eccleſiâ Romanâ perpetuum eſſe debere, diluitur.* Paragraph.

II. *Reſpondetur ad teſtimonia Auguſtini, & Ambroſij, quæ in ſubſidium ſupradicti argumenti afferuntur.*

III. *Secundum Suarij argumentum pro perpetuâ ſedis Romanæ prærogatiuâ profligatur.*

IV. *Docetur curam omnium Chriſti ouium non minus reliquis Apoſtolis, quam Petro fuiſſe commendatam.*

V. *Oſtenditur falſum eſſe quod ponit Suarius, Petrum prouidiſſe modum quo ſibi ſuccederetur.*

VI. *De ſucceſſione Petri, & Cathedrâ eius Romæ figendâ dubiæ, & perplexæ Pontificiorum ſententiæ referuntur, & exagitantur.*

SVperiore lectione docuimus ex ipſo tenore verborum Mat. 16. prærogatiuam ibi Petro à Chriſto Seruatore conſignatam ad Romanum Pontificem peculiari aliquo iure pertinere non poſſe. Diluenda mihi nunc veniunt, quoad opus erit (nam omnia perſequi nimis longum eſſet) quæ ab aduerſarijs ad prærogatiuam hanc vindicandam afferri conſueta ſunt. Vbi mihi maximè cum Suario certamen ineundum erit, qui poſtremus iam omnium delectiſsima Bellarmini, aliorumque ab illa parte argumenta propoſuiſſe profitetur, quæque ad cauſam hanc quam ſuſcepit muniendam iudicio ſuo efficaciſsima viderentur. Erit autem operæ pretium videre quam illa non ſint efficacia, quas ille ſcopas ad pugnam nectat, quam ab illo ineptè, quam improbè, quam perfidè cauſa iſta acta ſit. Qui vt ordine procedat, primo ſtatuit *concluſionem eſſe de fide* (Romanâ vobis intelligere eſt) quæ nunc eſt: non antiquâ illâ Catholicâ & orthodoxâ.) *primatum Petri non illi ſoli pro ſuâ perſonâ fuiſſe collatum, ſed vt perpetuo in Eccleſia duraret in eo fuiſſe inſtitutum.* Hoc verò qui conſtat? nempe in loco illo quẽ ex- I. *Lib.3.c.10.§.2.*

 plicamus,

plicamus, *promittit perpetuam Eccleſiæ durationem in Petro fundatam tanquam in petrâ firmiſſimâ, & perpetuò duratura; quæ confirmatur etiam*, inquit, *ex alia Chriſti promiſſione, Ego rogaui pro te, Petre, vt ne deficiat fides tua.* Sed hæc omnia quid ad Rhombum? Audimus Eccleſiam ſuo modo, prout ante diximus, in Petro fundatam, audimus Petrum eâdem ratione petram perpetuò duraturam, audimus oratum à Chriſto nè deficeret fides eius; ſed nondum audimus iſta ad ſucceſſorem aliquem certum ad finem vſque ſeculi tranſire debuiſſe. Manent adhuc Apoſtoli per doctrinam ſuam ciuitatis Dei fundamenta, manet & Petrus, & perpetuò manebit, & quemadmodum de Magdalena dictum eſt. *Amen dico vobis, vbicunq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod illa fecit in memoriam eius*; ita quoque de Petro factum eſt, vt vbicunque prædicatum ſit Euangelium in toto mundo ibi confeſsio eius, & fides pro fundamento atque exemplo Eccleſiæ conſtruendæ commemorata ſit; Breuiter manet Petrus Eccleſiæ petra non in ſucceſſore aliquo ſed in confeſsione ac fide ſua, quâ initiata, & imbuta Eccleſia per illum aduerſus omnes Satanæ inſultus, atque impetus, ipſaſque inferorum portas immobilis, & æterna perſeuerat. Nihil ergo hic ad cauſam prorſus eſt.

Mat. 26. 13.

Leo anniu. 2. in vniuerſa Eccleſia, Tu es Chriſtus filius Dei, quotidie Petrus dicit, & omnis lingua quæ confitetur dominum magiſterio huius vocis imbuitur.

II Affertur ergo in ſubſidium Auguſtinus, affirmans *Petrum repræſentaſſe Eccleſiam quando illi claues datæ ſunt, quia*, inquit Suarez: *non pro illius tantum perſonâ ſed pro illius ſede, vt perpetuo cum Eccleſia duraret, eamque regeret ſuoq; modo ſuſtentaret illi datæ ſunt*; gratis iſta dicuntur omnia, & nonniſi phreneticorum hominum deliramenta ſunt. Qua de re Auguſtino hanc interpretationem loci ante oſtendimus nimis impudenter eſſe affictam, quia manifeſta eſt ibi Auguſtini ſententia; *Petrum repræſentaſſe Eccleſiam*, id eſt, *omnes bonos* quemadmodum Iudas repræſentat Eccleſiam malignantium, id eſt omnes malos; quomodò, & Ambroſius Iudam ait, *figuram fuiſſe infidelis populi Iudæorum qui pecunia vel emit, vel vendidit Chriſtum.* Quid hoc ad ſedem aliquam Petri, magis quam ad ſedem Iudæ, quando hic perſona, tantùm, figura, repræſentatio, ſignificatio

In Pſal. 40.

nificatio vtrinque intellecta eſt. Quanquàm & ineptè comparata reſponſio iſta eſt. Ecquis enim tam inſanus eſt, vt pro ſede Petro in Eccleſiâ aſſerendâ Petrum repræſentare Eccleſiam dicat. Quid eſt enim repræſentare Eccleſiam, niſi vicem, perſonam, figuram totius Eccleſiæ geſtare, & quaſi loco eius eſſe, quemadmodum ex Auguſtino animaduerſum eſt; Hoc verò ad ſedem ſucceſſiuam vnius hominis conſtituendam quid tandem facit? Ne dicatur ergo Petrus Suarij ſenſu repræſentare Eccleſiam, quod *ἀσύστατον* prorſus, & abſurdum eſt, ſed ſi pro re ſua quicquam velit, dicatur repræſentare ſucceſſorem ſuum, repræſentare (quotquot futuri eſſent) Romanos Epiſcopos; quod quia nemo vnquàm vel vſquàm dixit: mittant figmenta iſta, quibus improbè Romanus Epiſcopus Eccleſia conſtitutus eſt. Sed pergit ille; *vnde*, inquit, *ſicut ex illis verbis, Tu es Petrus, &c. intulit* Ambroſius *ita nos inferre poſſumus, vbi Eccleſia, ibi Petrus, & quandiù durat Eccleſia, tamdiù durat Petrus.* Quo in loco perfidum hominis ingenium atque ad fraudes, & mendacia proiectum videre eſt, qui vt olim Carus Herculis boues retrouerſos in antrum ſuum caudâ pertraxit, ita retrouerſa Ambroſij verba præter mentẽ Ambroſij cogit ſeruire propoſito ſuo, & in alienam ſententiam per vim torquet. Neq; enim habet Ambroſius, *vbi Eccleſia, ibi Petrus, ſed vbi Petrus, ibi Eccleſia*; id tantum volens quod ante diximus ex Auguſtino in Petro Eccleſiam ſignificari. Nam ex Geneſi adducens illud, *Et cadet eques retrorſum*, & ad allegoriam more ſuo conuertens, *equitem*, Chriſtum interpretatur, et *cur*, *inquit*, *retrorſum cadet, niſi vt tegeret ſe ſequentes? Retrorſum erat Petrus cui dixit, vade retrò poſt me: Retrò erant Apoſtoli & cæteri diſcipuli; Ideo retrorſum cecidit quia ſuper quos cadit, ſaluat.* Deinde poſt nonnulla interiecta ita loquitur; *Perſecutor ſuper terram & in infernum cadit, Chriſtus ſuper reſurrecturos, Chriſtus ſuper Petrum, Chriſtus ſuper eccleſiam, Audi quomodò ſuper eccleſiam cadat. Retro erat Petrus & ſequabatur eum cum à Iudæis ad Caiaphæ domum ſynagogæ principis duceretur. Ipſe eſt Petrus cui dixit, Tu es Petrus & ſuper hanc, &c; vbi Petrus, ibi*

In Pſal. 40.

Liv. lib. 1.

Gen. 49.

eccleſia; vbi eccleſia, ibi nulla mors, ſed vita æterna; Et ideò addidit, Et portæ inferi non præualabunt ei, & tibi dabo claues regni cælorum. Beatus Petrus cui non inferorum porta præualuit, non cæli porta ſe clauſit, ſed è contrario deſtruxit inferni veſtibula, patefecit cæleſtia. vbi luce clarior eſt Ambroſij ſententia eum in ſalute Petri ſalutem eccleſię deſignare voluiſſe. Audi quomodo cadet ſuper eccleſiam; id eſt quomodo ſaluat eccleſiam. Retro *erat Petrus*; id eſt, *ſaluauit Petrum*; vbi *verò Petrus ibi eccleſia.* Cogitate verò iam Suarius vnde verba illa elicuit, *Vbi eccleſia, ibi Petrus, quamdiù durat Eccleſia, tamdiù durat Petrus*, nempe in ſede illâ de quâ dixerat, id eſt, in externâ & temporali monarchiæ eccleſiaſticæ adminiſtratione, quarum rerum apud Ambroſium nè pretextus quidem vllus eſt: De qua porrò addit, *Rectè quidem dixit, vbi Eccleſia, ibi nulla mors, quia licet ſinguli de Eccleſia moriantur, Eccleſia non moritur, & licet Petrus defecerit, ſedes Petri nòn deficit*, quaſi Ambroſius de temporali morte locutus ſit, & ſignificare voluerit, non Eccleſiam, non Petri ſedem temporaliter deficere, etſi ſinguli de Eccleſiâ, etſi Petrus ipſe temporaliter ſit mortuus. Videre verò hominem ſtupidum, & plane oculis captum, ſic enim Ambroſius, *Vbi Petrus, ibi Eccleſia; vbi Eccleſia, ibi nulla mors.* Sequitur ex notâ pueris ipſis dialecticorum regulâ, *vbi Petrus, ibi nulla mors.* An verò Petrus non eſt mortuus? an Petrus temporali obitu non defecit? Non loquitur ergo Ambroſius de morte temporali, ſed de morte æternâ, quæ vitæ æternę eſt oppoſita, quam neque Petrus obijt neque obeunt ſinguli de eccleſia; ne vlli quidem qui vera Eccleſiæ membrá ſunt, vt commentatio hæc Suarij futilis dicam & otioſa? immo excors & inſana exiſtimanda ſit. Atque hactenus primum argumentum excuſsimus; tranſeamus ad ſecundum.

III. Sumitur autem ſecundum ex mandato illo Chriſti. *Ioan.* 21. *Paſce oues meas*, quod iterum hic circumſtantijs infarcit, vt eſt in ijſdem identidem ingerendis odioſiſſimus & moleſtiſsimus. *Quia Chriſtus*, inquit, *indefinitè oues ſuas Petro commendat; vniuerſas ei commiſiſſe intelligitur*

gitur

gitur. Futura autem erant oues Chriſti,ſicut in diuerſis locis, ita in diuerſis temporibus,& in omni tempore indigebant ſupremo aliquo paſtore ſicut & in omni loco. Quia verò vniuerſas ei commiſit, non tantùm præſentes, ſed etiam futuras, & omnium temporum oues ei commendauit. Vbi cùm quæritur, *quomodo Petrus poſt mortem paſcere poſſet oues in hoc mundo relictas*, reſpondet *hinc intelligi Chriſtum non tantùm Petro in perſonâ ſuâ; ſed ſedi Petri, ſeu Petro vt continenti in ſe tanquam in ſemine & fundamento omnes ſucceſſores ſuos,oues ſuas commendaſſe*, & porrò *propter hanc cauſam ad Petri Paſtorale munus pertinuiſſe prouidere modum quo ſibi ſuccederetur,vt oues Chriſti ſine Petro Paſtore non relinquerentur,etiamſi Petri perſona deficeret, & ita vſq; hodie,* inquit,*Petrus paſcit oues Chriſti per ſucceſſores ſuos.* ſatis verò eloquentiæ, ſapientiæ parum,abundè fabularum audiuimus. Quis non videt hæc omnia quàm ſtultâ preſumptione plena ſint,de quibus argumentū probabile non habent,ea per diſcùrſus aereos, & excerebratorum hominum inania ſophiſmata infatuatis ipſorum diſcipulis perſuadere conantur, vbi ſi quid negaueris viceris, quia probatio eſſe nulla poteſt. Sumamus autem quod habet Auguſtinus,& mox nullo negotio fumus iſte omnis in vacuas auras euaneſcit, *In vno*, inquit, *Petro figurabatur vnitas omnium Paſtorum, ſed bonorum qui ſciant oues Chriſti paſcere Chriſto, non ſibi.* Mandatum ergo de paſcendis ouibus datur Petro, non tantum in perſonâ ſuâ, verum eſt,ſed paſtorum omniū figuram & perſonam gerenti,qui omnes hic æquo iure de officio ſuo admonentur, vt omnes ſe intelligāt Petri in hoc negotio cōſortes eſſe, & ſucceſſores,neq; quiſquā ſibi magis quā alteri vel alteri magis quàm ſibi dictum hoc cenſere debeat. Non ergo ſede aliquâ Petri ſtatuminandâ,cui impoſsibilis eſſet omnium Chriſti ouium inſpectio,& cura,ſed communi Paſtorum omnium officio, & coniunctione ſtatuendâ, quorum omnium in Petro figura præceſsit, futuris ouibus ſuis Chriſtus conſultum eſſe voluit. Quemadmodum enim illud Pauli ad Timotheum, *Præcipio tibi coram Deo qui viuificat omnia & Ieſu Chriſto qui teſtificatus eſt ſub Pontio Pilato*

De Sanct. ſerm. 24.

lato confeſſionem bonam, vt ſerues mandatum ſine macula, irreprehenſibile vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, non eſt dictum Timotheo pro ſuâ tantum perſonâ, quem ante aduentum Domini diem ſuũ obire oporteret, implendum tamen manere debuit ad aduentum vſque Ieſu Chriſti, non per ſedem aliquam Timotheo ad finem vſque ſtatuendam ſed per Timotheos omnes, Epiſcopos & Paſtores omnes, quos ad conſummationem vſque ſæculi ad miniſterii opus Deo excitare viſum eſſet; quorum ſcilicet in homogeneis par & eadem eſt ratio, vt vnus ille reliquorum omnium inſtar exiſtimandus ſit, quomodo & alterum illud, *Teſtificor coram Deo & Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos in aduentu eius, & in regno eius prædica ſermonem, inſta opportunè, importune, arguè, increpa in omni patientia, & doctrina*; ita præceptum illud, *Paſce oues meas*, cuius ad finem vſque ſæculi vſus eſſe debuit, non ſoli Petro dictum, nec ſedi alicui Petri proprium intelligi oportuit, ſed vt Petrus ibi figura erat omnium Paſtorum, ita ad omnes indifferenter pertinere cenſendũ erat, quibus ad aduentũ vſq; Chriſti paſcendarum ouium munus, & cura committenda eſſet Petro ipſo, idem præceptũ cõpresbyteris ſuis ingerente, *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* Nec verò minus in reliquis Apoſtolis quam in Petro futuris ſuis ouibus Chriſtus conſulendum cenſuit, quos omnes compellat dicens; *Euntes docete omnes gentes, docete obſeruare quæcunque, &c. Et Ecce ego vobiſcum ſum vſque, &c.* quaſi ſcilicet ad conſummationẽ vſq; ſæculi Apoſtoli omnes gentes omnes docere non debuiſſent, quibus tamẽ ſingulis non ſunt ſingulæ ſedes conſtitutæ quibus hoc effectum dent, ſi quidem promiſcuè omnes quibuſcunque freti ſedibus miniſtri atque Epiſcopi Apoſtolorum in hoc officio ſucceſſores eſſe iudicantur. Ex quo tamen non minus ſpecioſum quam illud Suarij argumentum pro ſingulis ſingulorum Apſtolorum ſedibus afferi poſſet. Iniuncta enim illis cura docendi omnes gentes, nullâ temporis adhibitâ limitatione: immò ille ſe eis in hoc opere affuturum promittit vſque ad conſummationem ſeculi, rationem enim

Chri-

Chriſtus gentium habuit non pro illo tantum, ſed pro futuro quoque tempore; ſingulos ergo Apoſtolos neceſſe eſſet ſingulas habere ſedes in quibus hoc officium per ſucceſſores ſuos ad finem vſque præſtare debuiſſent. Quas quia illos non habuiſſe certum eſt. *Epiſcopis* autem promiſcuè tanquam *ſucceſſoribus ſuis*, *ſuum* vt loquitur *Ireneus magiſterij locum tradidiſſe*, perindè de Petro quoq; ſentiendum eſt mandatum illum accepiſſe de officio ad Chriſti reditum duraturo propter regimen non certæ alicui ſedi, ſed indifferenter Paſtoribus omnibus quorum omnium ibi perſonam ſuſtinuit, Romano quidem Epiſcopo inter cæteros, ſed non præ cæteris ſuum illud paſcendi oues Chriſti munus & officium reliquiſſe. Neque verò vt res humanæ ſunt rectè conſuluiſſet futuris ouibus ſuis certam ſedem à quâ illæ penderent conſtituendo, vel vnum aliquem ſummum paſtorem præficiendo. Quam enim hoc modo malè prouiſum ouibus per centum illos & quinquaginta annos quos ante diximus, quibus ſedis illius ſeſſores non Apoſtolici, ſed apotactici & apoſtatici à Genebrardo, & Baronio fuiſſe memorantur, quales exinde reliquos pleroſque fuiſſe ſatis apertum eſt. Rectè verò Gregorius *vniuerſa Eccleſia quod abſit à ſtatu ſuo corruit, quando is qui dicitur vniuerſalis cadit.* Et quidem multò faciliùs creditur in vnum aliquem ſupremum, qui libitu ſuo decernit omnia, quàm in multos æquales pari iure & communi conſilio agentes apoſtaſiam, & perfidiam poſſe cadere. Proindè Cyprianus; *idcirco*, inquit, *copioſum corpus eſt Sacerdotum concordiæ mutuæ glutine atque vnitatis vinculo copulatum, vt ſi quis ex Collegio noſtro hæreſin facere, & gregem Chriſti lacerare, atque vaſtare tentauerit, ſubueniant cæteri, & quaſi paſtores vtiles, & miſericordes oues dominicas in gregem colligant.* Ergo Sedem illam Suarij & ſupremum paſtorem explodimus, qui ex quo regnum in Eccleſia ſibi ſoli conſecutus eſt, quam miſerè perdiderit illam atque afflixerit, & omnia peſſum ire fecerit, nimium lamentabili experientiâ notum eſt.

Lib.3. cap.3.

Lib.4. ep.32. & 36. Cum forte ſſe is in errore perit, qui vniuerſalis dicitur nullus remanſiſſe in ſtatu veritatis innuitur.

Lib.3. ep. 13.

III. Cæterùm quod ait ex verbis Chriſti conſtare ſimpliciter omnes oues Petro commendatas eſſe de eo antedi-

ctum eſt, non minus reliquis Apoſtolis quam Petro curam omnium ouium eſſe commiſſam; id quoque fatente Bellarmino, *ad Apoſtolicam dignitatem ſolicitudinem omnium Eccleſiarum pertinuiſſe*, vt quanquam ſinguli omnibus operam impertiri non poſſent, (neque enim quiſquam vnus poſſet) ſolicitudine tamen, & cōſilio, & conatu ſuo cuiuſque vltimo complecterentur omnes agerentque, vt omnibus per orbem Eccleſijs bene eſſet; id quod omnes quoque Paſtores & Epiſcopos pro ſua in Chriſtum dilectione meditari debere animaduerſum ibi eſt.

De Rom. Pont. lib. 2. cap. 9.

Atqui verò quam infirmum illud argumentum ſit, vel ex eo conſtat quod Chriſtus ſi priuatum aliquem vnius gregis paſtorem compellaſſet, iiſdem verbis quibus Petrum affatur commodiſsime vti & potuiſſet, & ſine dubio voluiſſet. Fingamus enim Archiepiſcopum Capuenſem, &c. vt ſupra.

V. Quod vltimo loco dicit, *ad Petri paſtorale munus pertinuiſſe prouidere modum quo ſibi ſuccederetur*. Parum conſultus ille, aut omninò certè non ſobrius dixit, Neque enim credi poteſt omiſiſſe Petrum quod ad paſtorale munus eius in tam graui cauſa pertineret. Oſtendat ergo nobis quid in ea re Petrus egerit, quoue modo prouiſum ab illo hac in parte eſt. Immò vel hoc ipſo intelligite quam non ſuccedat Pontifex Romanus in authoritatem Petri id quod à Nilo Theſſalonicenſi, & Barlaamo Monacho non ſine magnâ ratione animaduerſum eſt. Petrus enim in Eccleſiâ Antiochenâ deſignauit ſucceſſorem ſuum Euoldum, in Romanâ ſiue Linum, ſiue Cletum, ſiue Clementem; quiſquis ille fuit à Petro conſtitutum conſentiunt omnes, nec quicquam aliud ab illo de ſucceſsione prouiſum eſt. At non poteſt Romanus Epiſcopus, non in ſuâ, non in quâcunque aliâ Patriarchali Eccleſiâ, nunquam auditum eſt à Romano Epiſcopo, quenquam ad ſedem Patriarchalem Hieroſolymitanam, Alexandrinam, Antiochenam, Conſtantinopolitanā ordinatū eſſe.

VI. Hic verò qui titubationes illorum, & hæſitationes, & ridiculas perplexitates attenderit, plane intellexerit commentitia

mentitia eſſe omnia & per dolum ementita quæcunque ab illis in hoc negotio tam operoſè diſputari conſueta ſunt. Sciſcitemur ab illis an ex inſtituto Chriſti Romanus Epiſcopus in vniuerſalem illum Eccleſiæ Pontificatum proue&tus ſit? Reſpondet Bellarminus; *Quod Epiſcopus Romanus quia Epiſcopus Romanus eſt ſit Petri Succeſſor ex facto Petri ortum habuit, non ex primâ Chriſti inſtitutione.* De Rom. Pont. lib. 2. cap. 12. Num verò Petrus quicquam ea in re abſque Domini iuſſu & præcepto auſus eſt? *Non eſt improbabile*, inquit, *Dominum apertè iuſſiſſe vt ſedem ſuam Petrus ita figeret Romæ, vt Romanus Epiſcopus, abſolutè ei ſuccederet.* Sed quod iure diuino non conſtat, Catholicæ fidei pars eſſe non poteſt. *Imò licet fortè non ſit de iure diuino Rom. Pont. vt Rom. Pont. Petro ſuccedere, dicendum tamen id ad fidem Catholicam pertinere.* Sed perſonalem tantummodo dignitatem Chriſtus inſtituit, qui ergo potuit eſſe loco alligata? *Ex primâ*, inquit, *Chriſti inſtitutione dignitas Pontificalis fuit perſonalis, tamen ex facto Petri facta eſt poſtea localis ſeu potius mixta, neque id ſine diuino nutu.* Non ſine diuino nutu, & tamen à Chriſto non ſit. At enimuero de facto Petri quî certi ſumus? *Habetur*, inquit, *ex traditione Apoſtolicâ Petri: non ex primâ inſtitutione Pontificatus quæ in Euangelio legitur.* At Apoſtoli Apoſtolicam dignitatem dare Romani Pontifici non potuerunt? *Romanum Pontificem totius Eccleſiæ Pontificem, ſiue Apoſtolicum Pontificem Apoſtoli creare non debuerunt cum id Chriſtus ipſe fecerit.* Non inſtituit Chriſtus, & tamen Chriſtus ipſe fecit. Nunquid verò certum eſt primatum hunc in Romanâ Eccleſiâ perpetuò durare debuiſſe. *Non eſt omnino de fide à Romanâ Eccleſiâ non poſſe ſeparari Apoſtolicam ſedem, quia neque Scriptura, neque traditio habet ſedem Apoſtolicam ita fixam eſſe Romæ vt inde auferri non poſſit.* Lib. 4. cap. 4. Quid ergo de ijs qui dicunt Romanam Eccleſiam errare non poſſe. *Exponi poſſunt de Romanâ Eccleſiâ donec in ea permanet Apoſtolica ſedes, non abſolutè, & ſimpliciter.* Quid ergo deniq; de Romanâ Eccleſiâ ſtatuendum eſt? *pia & probabiliſſima eſt ſententia non poſſe ſeparari Petri Cathedram à Româ, & proinde Romanam Eccleſiam abſolutè non poſſe errare nec de-*

ficere. Ita pium eſt illis credere quod ſe neſcire profitentur an verum ſit, & non eſt de fide, attamen pertinet ad fidem Catholicam & probabilitates res ita ſe habet, & fortè eſt de iure diuino, & non eſt improbabile Deum iuſsiſſe, & non eſt ex primâ Chriſti inſtitutione & tamen Chriſtus prior fecit, nimis longum eſſet commemorare Labyrinthos omnes, & Mæandros, in quibus attoniti hærent ſeque explicare non poſſunt, vt miſera interim ſit fides illa cuius tam incerta, tam nulla fundamenta ſunt.

PRÆLECTIO DECIMAQVARTA.

I. *Tertium Suarij argumentum ex illis Chriſti verbis* (Et erit vnum ouile, & vnus paſtor) *petitum, proponitur diſcutiendum.*

II. *Demonſtratur illum* Vnum paſtorem, *non niſi Chriſtum eſſe.*

III. *Prima Suarij exceptio aduerſus prædictam concluſionem quâ contendit* neceſſarium eſſe vnum viſibilem paſtorem qui locum abſentis Chriſti teneat, *euertitur.*

IV. *Altera Suarij exceptio, viz.* Chriſtum licet ſit vnus ſupremus Pontifex, non tamen ſolum vbique, & immediatè gubernare, & proinde ei Vicarium Generalem Pontificem Romanum ſurrogandum, *tollitur.*

I DVo iam argumenta profligauimus, quibus contendit Suarius primatum Petri perpetuum in Eccleſia eſſe debere. Tertium ſequitur ex verbis Chriſti deſumptum apud Ioannem: *Alias oues habeo, quæ non ſunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor.* Inde colligit, *in Eccleſia Chriſti tam eſſe futurum ſemper vnum paſtorem, ſicut vnum ouile, & paſtorem vnum neceſſarium eſſe, propter ouilis vnitatem omni tempore ſeruandam, & ea ratione vnum Paſtorem à Chriſto conſtitutum pro omni tempore datum eſſe, non in eâdem perſonâ, ſed in eodem throno.*

Quo

Digitized by Google

Quo in loco peſsimâ fide torquet ad Paſtorem à Chriſto II.
vt prætendit ille conſtitutum, quod de Chriſto ipſo intelligendum eſt, & Paſtorem ſubſtituit temporalem vbi intelligitur *vnus Paſtor permanens*, vt loquitur Rupertus *qui* Rupert in Ioan
nunc & ſemper eſt. Denique per ſacrilegam audaciam ad Pontificem Romanum accommodat, quod Scriptura diſertè confirmat prꝺterquàm de Chriſto exponi non poſſe. Vnus enim ille paſtor quis intelligendus ſit, ab Ezechiele Propheta inſtruimur. *Ego ſuſcitabo ſuper oues meas* Ezech. 34.
Paſtorem vnum qui paſcet eas ſeruum meum David; ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem, & rurſum: *ſeruus me-* Cap. 37.
us Dauid Rex ſuper eos, & Paſtor vnus erit omnium eorum; *& Dauid ſeruus meus princeps eorum erit in æternum Dauid* Theodoret.
Dominum Chriſtum dicit, vt rectè Theodoretus, *Ex Dauid ſecundum carnem oriundum, his verò ea congruunt*, inquit, *quæ à Domino Chriſto in ſacris Euangelijs dicta ſunt. Alias oues habeo, &c. & fiet vnum ouile, &c. Vnus ergo* ille Paſtor, Deo ipſo decernente, Ieſus Chriſtus eſt, *magnus ille* Heb. 13.
ouium Paſtor, Paſtor & Epiſcopus animarum, De quo Solo- 1. Pet. 2. Eccleſ. 12.
mon; *verba ſapientum ſicut ſtimuli, & ſicut claui infixi à magiſtris congregationum, quæ tradita ſunt à Paſtore vno.* Paſtor enim non alius quam qui idem magiſter eſt. *Nolite verò*, inquit, *vocari magiſtri: vnus enim magiſter ve-* Math. 23.
ſter Chriſtus. Perinde ergo Paſtor vnus Chriſtus eſt. Neq; verò alter vnus ille Paſtor quàm cuius *propriæ ſunt oues:* Ioan. 10.
Non affectu tantùm quomodo ſunt Paſtorum omnium qui verè paſtores ſunt: ſed Dominio quoque & iure. Oues verò Dominio propriæ ſunt ſolius Chriſti, non Petri, non cuiuſquam Apoſtoli, Paſce enim, inquit, oues non tuas, ſed *meas.* Solus ergo Chriſtus vnus ille, & verus Paſtor accipiendus eſt, Nec aliter Patres, quicunque loca iſta attigerunt, interpretati ſunt. Chryſoſtomo, Auguſtino, Hieronimo, Cyrillo, Theodoreto, Theophylacto, reliquis quibuſcunque vnus ille Paſtor nonniſi Chriſtus eſt, de altero Paſtore vno nunquàm quicquam illis in mentem venit. Sed maximè hic Gregorij Romani ſententia attendenda eſt, quæ reliquarum ſpero omnium inſtar eſſe præſumitur. *Chriſtus ſolutis inimicitijs in carne ſua fecit*, Lib. 4. Epiſt. 36.

vt in omni orbe terrarum vnus eſſet grex, & vnum ouile ſub ſe vno paſtore. Gregorius Romanus ipſe Epiſcopus Paſtorem vnum alium præter Chriſtum recognoſcere non potuit; nunquàm ſe intellexit, nunquam in Romano Epiſcopo factum audierat, vt eſſet *vnum ouile, & vnus Paſtor.* Et quidem in quo vnum eſt ouile idem ipſe vnus ille paſtor eſt. Solus autem Chriſtus eſt, neque quiſquam

Ephe. 2. alius in quo vnum eſt ouile. Nam *ipſe eſt,* inquit, Apoſtolus, *qui fecit vtraq; vnum.* Solus ergo Chriſtus vnus ille Paſtor dicendus eſt. Quin & Suario ipſi per ſententiam quam citat Auguſtini; idem eſt ouium paſtorem eſſe,

Ibidem vt ſupra. & caput, Gregorio verò ſolus Chriſtus caput eſt. Ita enim habet de Ioanne Conſtantinopolitano vniuerſa *ſibi tētat aſcribere, & omnia quæ ſoli vni capiti cohærent videlicet Chriſto per elationem pompatici ſermonis eiuſdem Chriſti ſibi ſtudet membra ſubiugare.* Soli vni capiti Chriſto cohærent omnia membra Chriſti. Quod ſi ſolus Chriſtus caput, ſolus quoque Chriſtus Paſtor ille vnus, id eſt, omnium paſtor intelligendus eſt, *Petrus,* inquit ille, *primum membrum*

Idem epiſt. 38. *vniuerſalis Eccleſiæ, Paulus Andreas, Iohannes, ſingularium plebium ſunt capita, omnes verò ſub vno capite membra ſunt Eccleſiæ.* Non Petrus caput Pauli, Andreæ, Ioannis, ſed Petrus cum Paulo, Andrea, Ioanne omnes ſub vno capite membra ſunt Eccleſiæ. Conſimiliter Petrus, Paulus, Andreas, Ioannes, ſingularium plebium Paſtores quibus minimè per opus prædicationis intereſſe contigerit. Nõ Petrus reliquorum Pauli, Andreæ, Ioannis, non vniuerſalis omnium Paſtor, ſed omnes in vno ouili ſub vno ſolo Chriſto Paſtore communiter oues ſunt. Et illi quidem ad ſingulas plebes nonniſi ſuo quodam modo Paſtores quod ad pabulum admouendum quaſi manus Chriſti ſint. Vnus ille Paſtor eſt qui cor, qui animam paſcit quod ſolus Chriſtus facit, neque enim qui plantat eſt

1. Cor. 3. aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Iam qui certiſsimis argumentis effectum damus Chriſtum hic vnum illum Paſtorem intelligi debere, conſequenter euincimus alium quemujs vnum Paſtorem hoc

loco

Digitized by Google

loco conſtitui non poſſe. Nam ſi alium ponamus quocunque id demum ſenſu fiat, non iam vnius ouilis vnus Paſtor, ſed vnius ouilis duo ſaltem Paſtores futuri ſunt.

Id intellexit optimè Suarez: ſed in cauſâ deploratâ tentanda ſunt extrema remedia, quæ ſi valent, bene eſt, ſi non valent, gratiæ tamen expectantur, quas in amiſſo exercitu, & perdita Repub. retulit olim a Senatu Romano Terentius Varro, *Quod de Repub. non deſperaret.* Atque hic aduerſariorum improbitas, & audacia manifeſta eſt, qui cum ſcripturas exponi vetent *contra vnanimem conſenſum Patrum,* hîc tamen Patres in vniuerſum reijciunt omnes, etenim omnes de Chriſto locum interpretantur, neque quiſquam vnquàm quicquam de Romano Pontifice ſomniauit, cum tamen ad ſuffragium cauſæ ſuæ obtorto collo inuitum trahunt, & alium hîc vnum paſtorem conſtitutum credi volunt. Suarez ergo cum Chriſtum hic vnum Paſtorem ab Auguſtino intellectum animaduertit, (nam de reliquis omnibus non abſque arte quâdam ſilentij tacet) reſpondet; *Chriſtum quidem eſſe Principalem Paſtorem in quo omnes alij Paſtores ſimul cum Petro nectuntur, & vniuntur, nihilominus tamen etiam in terris neceſſarium eſſe vnum Paſtorem Chriſti vicarium, in quo inferiores Paſtores proximè vniantur & nectantur;* Ergò iam non vnus Paſtor ſed duo; principalis alter, alter vicarius, cur ſe hic ſibi contrarium non animaduertit? & tamen quorſum hoc? quia ſi locus iſte ad Principalem paſtorem pertineat, certè de Paſtore vicario concludere nihil poteſt; Paſtorem vnum eſſe confirmat; Paſtorem hunc vicarium habere debere non probat; Quin & eſt hic in Eccleſia vnus Paſtor perindè vt eſt in regno vnus Rex; in Regno verò vnus Rex de vicario Regis dici non poteſt: Nec ergo vnus Paſtor in Eccleſiâ de eo qui nonniſi vicarius Paſtoris eſt. Porrò & illud addimus vnius Regis in Regno, vnius noſtri Paſtoris in Eccleſiâ plures vicarios eſſe poſſe. Et quidem Eccleſiarum miniſtros atq; Epiſcopos Chriſti eſſe vicarios, & *Chriſti loco legatione fungi,* vt ait Apoſtolus, ante dictum eſt: vbi verò tot ſunt IIII

Vicarij

Vicarij Chriſti ab ipſo conſtituti quo iure, quo prætextu vnuſquiſque hunc ſibi vicariatum rapit? At neceſſarius eſt aliquis, *in quo proxime vniantur.* Quaſi verò qui Vicarij Chriſti ſunt non in Chriſto proximè vniantur, cuius proximi & immediati ſunt Vicarij; quaſi Pontificis opem deſiderent, vt inter ſe coaleſcant qui per ſpiritum capiti Chriſto coniuncti ſunt, vt nimirum reliqui Paſtores non iam Chriſti Vicarij ſed Vicarij ſint Vicarij Chriſti, legati primò Pontificis & nonniſi per illum Legati Chriſti.

III At, inquit, *quia militans Eccleſia viſibilis eſt, Deus poſuit in ea viſibiles Paſtores & Doctores, cum quibus plebs vniri debet, & vt ipſi Paſtores inter ſe vniantur, neceſſarius eſt vnus Paſtor viſibilis qui locum Chriſti abſentis teneat.* Reſpondemus, quâ ratione viſibilis eſt Eccleſia, eâ ratione neceſſarios eſſe viſibiles Paſtores & Doctores qui apud illam Chriſti munus obeant. Eſt autem Eccleſia viſibilis nonniſi ſecundum cœtus & particulares Eccleſias, neque enim tota cuiquam eſt viſibilis. Ergo tantummodo ſecundum cœtus, & particulares Eccleſias neceſſarij ſunt viſibiles Paſtores & Doctores. Vt autem Paſtores inter ſe, & cum plebibus ſuis vniantur non modò non eſt neceſſarius vnus aliquis totius Eccleſiæ Paſtor vniuerſalis, ſed neque quiſquam huic officio par, & idoneus vel fingi poteſt, qui ipſe toti Eccleſiæ, vel cui tota ipſa Eccleſia viſibilis ſit, vt intereſſe alter alteri, rerumque & cauſarum mutuò conſcij eſſe poſſint. Nam niſi ab eo qui totam Eccleſiam videat, & à tota Eccleſia videatur, ius & æquum in officijs, & cauſis in illâ negotiorum infinitate expectari non poteſt. Nam quod excipit Suarez, *longe hinc maiora, ſpecialia, & extraordinaria gratiæ auxilia ſuppeditari,* ita ridiculum eſt, vt non niſi cum ſibilis explodendum ſit cum plane conſtet Pontificum Romanorum ingenti numero vel ordinaria gratiæ ſubſidia ita defuiſſe, vt fuerint potius cum turpiſsimis beſtijs, quàm cum Chriſtianis hominibus numerandi, certè Pontificijs ipſis monſtra hominum & portenta, & tanquam in hominum ſpecie diaboli viſi ſunt.

Quod autem addit; *licet ſit vnus ſupremus Pontifex,*

non

non tamen ſolus vbiq́; & immediatè gubernat, ſed alios Paſtores & Epiſcopos in partem ſolicitudinis vocat, pari cum cauſæ ludibrio dictum eſt, Nam ſi per aliorum Paſtorum & Epiſcoporum oculos & aures videre cogatur & audire, quale ille caput eſt? Quin potius mittat illos vt iure ſuo à Chriſto conceſſo res Eccleſiæ procurent; ne in illa ſe intromittat quæ cogitur ignorare, quorum niſi ex fide alienâ arbiter & iudex eſſe non poteſt. Cur per illos Pontifex magis quam Chriſtus agit? cur ab illis maior in Pontificem quam in Chriſtū ſperatur fides? Quanto verò ſatius & ad commoditatem Eccleſiæ compendioſius eſt, vt ab ijs cauſę tractentur, quorum ſub oculis & aſpectu ſunt, quam vt remotarum partium negotia vel à Donatiſtis in Africam, vel Romam à Papiſtis deferantur, quarum non homines modò, ſed linguæ quoque & leges & mores futuris cognitoribus ignoti ſunt. Atque hæc grauiſſima illa ratio fuit, quâ permota Synodus Carthaginenſis Romam appellationes fieri prohibuit. *Prudentiſſime*, inquiunt, *iuſtiſſimeq́ue patres prouiderunt, quæcunque negotia in ſuis locis vbi orta ſunt, finienda, nec vnicuique prouinciæ gratiam Spiritus Sancti defuturam, quâ æquitas à Chriſti Sacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſime teneatur, &c. Niſi fortè*, inquiunt, *quiſquam eſt qui credat vni cuilibet* (puta Romano Pontifici) *poſſe Deum noſtrum examinis inſpirare iuſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare, aut quomodo ipſum tranſmarinum iudicium ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis alijs intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt.* Quâ eâdem ratione ante illa tempora Cyprianus Nouatianorum ad Romanum Epiſcopum concurſus & refugia damnauerat: *Statutum eſt*, inquit, *omnibus nobis, & æquum eſt, pariter & iuſtum, vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi eſt crimen admiſſum, & ſingulis paſtoribus portio gregis eſt aſcripta quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem actus ſui Domino redditurus. Et oportet*, inquit *non circumcurſare, ſed agere illic cauſam ſuam vbi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint, niſi paucis*, inquit, *deſperatis*

Concil. Aphrican. cap. 105. ad Caleſtinum.

Cyp. l. 1. epiſt. 3. Cornelio.

ratis, & perditis minor eſſe videatur authoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum. Quam nimirum Epiſcopi Romani ad quem à ſeditioſis hæreticis tunc cauſa delata eſt. Quæ omnia eò pertinent, vt animaduertamus viſibiles Eccleſias eſſe debere quibuſcunque Paſtoribus ſuis, nec vnum aliquem eo loco ponendum, vt omnium Eccleſiarum poteſtatem habeat, quia luſtrare omnes omniumque cauſas, & negotia, & neceſsitates cognoſcere non poteſt.

Sed tamen vnius *regimen ſuo modo facile eſſet*, inquit ille, *niſi per errores & ſchiſmata perturbaretur*; vnius ſcilicet principatus ad errores & ſchiſmata vitanda inſtitutus eſt, & hoc vnus ille facilè poſſet, niſi per errores & ſciſmata perturbaretur. Stultè verò hoc Papa poſſet bella ſua & ſeditiones per totum orbem comprimere, niſi per bella & ſeditiones impediretur. Quod ſi non efficiat propter quod eſt, fruſtrà eſt, & quia fruſtra eſt, nec à Deo certè eſt, vnus ille Paſtor ſolus hoc facit, in cuius poteſtate corda ſunt hominum, quem penes eſt cohibere ventos, & tempeſtates, & dicere turbini, & mari, quieſcite; quique inter medios errores, & ſchiſmata id facit quod ſibi ad ſalutem ſuorum ex vſu ſit, quem multò magis credere eſt hoc facturum per Paſtores, & Doctores, ſe authore, conſtitutos, quàm per præſumptam vnius hominis ambitioſâ vanitate hierarchiæ maieſtatem. Quod ſi dicant apud ſuos hoc modo omnia in vnitate contineri, dicimus apud latrones, & ſeditioſos poſſe eſſe aliquem qui inter ipſos omnia componat, qui tamen ſimul omnes cum humano genere bellum exercent, quæ ipſiſsima eſt vnitas quàm apud Antichriſtum futuram monet Gregorius: *Diabolus*, inquit, *ſub Antichriſto ad augmentum ſuæ malitiæ vnitatem in reprobis habere permittitur, vt tantò contra nos robuſtiùs ſuas vires exerceat, quanto non ſolum nos ictu fortitudinis, ſed etiam mole adunationis impugnat.*

Moral. lib. 34. cap. 4.

PRAE.

PRÆLECTIO DECIMAQVINTA.

I. *Teſtimonium Auguſtini à Suario productum, pro primatu Pontificis expenditur.* *Paragraphi.*
II. *E Cypriano locus primus, de vnit. Eccleſ. à Suario citatus, examinatur.*
III. *Alius Cypriani locus ex epiſt. ad Corn. explicatur.*
IV. *Alter Cypriani locus ex epiſt. ad Iubaianum vindicatur.*
V. *Argumentum Suarij morale profligatur.*
VI. *Ad teſtimonium Leonis,*
VII. *Ad teſtimonium Chryſoſtomi,*
VIII. *Ad teſtimonia quædam Auguſtini reſpondetur.*

Actenus manifeſtum eſt nihil à Suario dictum eſſe, quo vel probabile ſit perpetuum vnius in Eccleſia primatum, tanquam Petri iure, & ſucceſsione conſtitutum, nec eò Chriſti ſententiam de vno Paſtore torqueri poſſe, vt alio illum ſe conuertere oporteat ſi ſpurium illum ſuum & Vicarium Paſtorem inuenire cupiat. Quem ergo ex Scripturâ comprobatum dare non poteſt quærit in Patrum authoritate, non illum Euangelij locum exponentium, neq; enim quiſquam vnquam Romanum Pontificem ibi commeminit, ſed de vnitate Eccleſiæ in vno Petro intimatâ, & commendatâ diſſerentium. Affert Auguſtinum, ſed quorſum, & quid dicentem? neque enim vel verbulum habet de primatu Petri ad quemcunque alium tranſeunte, immò nihil quod in ſpeciem eò tendat, vt impudentiſsimum eſſe oporteat Suarem, qui lectorem ita brutum ſibi animo fingit, vt fraudem eius non perſentiſcat. Quippe Auguſtinus de verbis Chriſti ſermonem habens; *Oues meæ vocem meam audiunt, &c. Hic inuenio,* inquit, *omnes bonos paſtores in vno Paſtore: non enim verè paſtores boni deſunt, ſed in vno ſunt. Multi ſunt qui diuiſi ſunt: hic vnus prædicatur quia vnitas commendatur. Neque enim verè modò ideo tacentur Paſtores, & dicitur Paſtor quia non inuenit Dominus cui commendaret* I. *Auguſt. de Paſto. c. 13.*

oues ſuas, tunc autem ideo commendauit, quia Petrum inuenit. Immo verò & in ipſo Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apoſtoli & vni dicitur, Paſce oues meas, Abſit à nobis vt deſint boni Paſtores, ſed omnes boni in vno ſunt, vnum ſunt. En vobis Chriſtum hic vnum Paſtorem, in illo verò multos paſtores, ſed qui in illo vnum ſunt: Petrum quoque vnum narrat non officio, vt vnus præſit omnibus: ſed typo vt ſit vnus inſtar omnium, in quo tanquam in ſymbolo quodam omnes admoneantur ſeruare vnitatem, cui vni dicitur quod omnium commune eſt, Paſce oues meas, vt in hoc intelligatur Paſtores omnes tanquam vnum eſſe debere. Mox illum commemorat vnum cum Chriſto factum amando Chriſtum, vt *ei*, inquit, *oues ſuas commendaret, vt eſſet ille caput, ille figuram corporis portaret, id eſt, Eccleſiæ, & tanquam ſponſus & ſponſa duo eſſent in carne vnâ.* Videte hic Chriſtum caput, hoc eſt, vnum illum Paſtorem, Petrum non caput, ſed figuram corporis, id eſt Eccleſiæ, vt plane inſanire videatur qui perpetuum hic capitis officium in Petro intellectum eſſe dixerit. Sed luculentiùs adhuc rem explicat: *Ipſe (Chriſtus) paſcit vnus in his, & hi in vno & tacetur de Paſtoribus, ſed non tacetur de Paſtore, &c. etiam cum ipſe Petrus erat, & ipſi Apoſtoli erant in hac carne, & in hac vitâ, tunc ait ille vnus in quo vno omnes vnum, Habeo alias oues, &c. Sint ergo omnes in Paſtore vno, & dicant vocem paſtoris vnam quam audiant oues, & ſequantur Paſtorem ſuum, & non illum, aut illum, ſed vnum & omnes in illo vnam vocem dicant, diuerſas voces non habeant.* Diſcite hîc ab Auguſtino non Petrum aut hunc, aut illum, ſed Chriſtum ipſum, & ſolum vnum eſſe Paſtorem, in quo Petrus & reliqui omnes vnum ſunt; Petrum non caput, ſed figuram corporis & typum in vinculum vnitatis; non per quem efficitur, ſed in quo figuratur ſecundum illud quod citat quoque Suarez nullo ſibi vſu, immò potius contra ſe ex *ſer. de Sanctis, In vno Petro vnitas omnium Paſtorum figurabatur.* Nihil ibi interim pro Paulo quinto, nihil de Romano Pontifice, nihil de vno aliquo ſecundum Chriſtum perpetuo Paſtore, qui ſi eſſet præteriri, certe ab Auguſtino in

libro

Digitized by Google

libro illo de Paſtoribus *minimè potuiſſet.*

At hoc, inquit, Cypr. *multò clariùs, & copioſius* docet. Affert autē præ cæteris librū *de vnitate Eccleſiæ,* ſed à Pamel. homine audaciſsimo contra omniū librorum fidem miſerè vitiatum, quàm ille tamen operam ferè inaniter impendit, ita nihil aut certè parum iuuatur illâ fraude Petri, Primatus ille quem tantoperè deſiderant. Cypriani verba ſic habent; Quamuis *Apoſtolis omnibus ſuis poſt reſurrectionem, &c.* Ex quibus verbis tam apertè propoſito eius aduerſantibus decerpit Suarez quædam, prout à Pamelio corrupta ſunt; *Vt vnitatem manifeſtaret* Cathedram vnam conſtituit, *& vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit.* Deinde ita refert, *Exordium ab vnitate proficiſcitur,* Primatus Petro datur, *vt vna Chriſti Eccleſia,* & Cathedra vna *monſtretur.* Deinde citat ex epiſtolâ 40. *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & cathedra vna ſuper Petrum* (pro eo quod fuit ante *ſuper petram) Domini voce fundata.* Hæ illis artes & impoſturæ ad patrocinium cauſæ peſsimæ, & fallendos imperitos famulantur, & ſeruiunt. 11

Siue vt habet noſt. edit. l. 1. epiſt. 8.

Sed videamus ex locis iſtis quid inferat Suarez. Poſitâ ergo primâ ſententiâ, ſubiungit, *Manifeſtè ibi inſtitutionem, & diſpoſitionem vnius cathedræ ad vnitatem Eccleſiæ conſeruandam inſtituta diſtinguit ab ipſomet Chriſto inſtituente.* Grandis verò animaduerſio, & docto homine digna; diſtinguit Cyprianus cathedram inſtitutam à Chriſto inſtituente. Et quid tum? *Similiter,* inquit, *præter Chriſtum deſignat vnum alium Paſtorem, in quo illa cathedra, & inſtitutio incepit, & ab illo originem duceret; non vt cum illo finiretur.* At hoc quoque quid ad rem? Cathedram vnam agnoſcimus: non Romæ peculiarem; ſed vniuerſali Eccleſiæ communem. Et cathedra vna in vno Petro inſtituta, & inchoata eſt, ſed typo & ſchemate vnitatis, non vniuerſalitatis officio, nam in *vno Petro figurabatur vnitas omnium Paſtorum bonorum,* prout ante ex Auguſtino viſum eſt. Denique cathedra illa cum Petro finire non debuit, quia vt ille omnium Paſtorum figuram geſtauit, ita cathedram communiter Paſtoribus omnibus

De ſanct. ſer. 24

ad finem vſque ſeculi tenendam reliquit.

Cæterùm vt iſta luculentius intelligatur, ſciendum eſt in Cathedrâ magiſterij Eccleſiaſtici,& Epiſcopalis authoritatem deſignari. Eſt autem Cathedra, vt monet Optatus *dos quædam Eccleſiæ*, non vnius alcuius, ſed catholicæ, & vniuerſalis Eccleſiæ; *Nam Eccleſiæ dotes*,inquit, *vbiq; apud illam ſunt*; *quæ* inquit, *cum ſint Eccleſiæ Catholicæ, etiam apud nos hic in Africa deeſſe non poſſunt*. Eſto quod volunt, quod tamen haud verum eſt, fuiſſe illam Romæ in Petro inchoatam, ſed ita ne ſimul agnoſcant fuiſſe illam ab hac origine pari iure propagandam vt vna omnium eſſet, eamque ſibi omnes Paſtores indiuiſim occupandam iudicarent, vt ſi Romana prima, certe ordine, non gradu, cenſu numerationis, non eminentiâ poteſtatis, prioritate temporis, non priuilegio proprietatis, Qua de re clariſsimè Cyprianus, *Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur*. Et idem quoque alibi. Eſt *A Chriſto vna Eccleſia,per totum mundum in multa membra diuiſa*; *item vnus Epiſcopatus multorum Epiſcoporum concordi numeroſitate diffuſus*. Quemadmodum ergo *Epiſcopatus vnus eſt cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur*, ita quoque cathedra vna eſt,cuius à ſingulis inſolidum pars tenetur.Quemadmodum vna eſt Eccleſia, ita quoque cathedra vna eſt, cuius par ius, & ratio æqualis vbique orbis terrarum eſt. Quare alio quoque loco Cyprianus; *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper petram Domini voce fundata*; *aliud altare conſtitui aut ſacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum ſacerdotium non poteſt*. Quemadmodum ergo vnus Deus vbique idem eſt, & idem vbique vnus Chriſtus, & eadem vbique Eccleſia, & idem altare atque ſacerdotium; ita quoque eadem vbique cathedra illa vna eſt;vt plane inſaniant qui cathedram vnam ſomniant,in quâ ſolus Pontifex Romæ ſedeat, niſi fortè penes illum quoque Deum eſſe velint, & Chriſtum, & Eccleſiam, nec alibi quam Romæ ſacerdotium, & altare exiſtimandum ſit. Quod ſi alibi ſacerdotium vnum, & altare vnum, certè alibi quoque cathedræ vnius poteſtas eadem, & authoritas credenda eſt, *Vt*

Lib. 2.

Nam cathedra Epiſcopalis Hieroſolymitæ primo in Iacobo fratre Domini cœpta eſt.

De vnitate Eccleſiæ. Quem ibidem quoque indiuiſum appellat.

Lib.4.epiſt.2. Epiſt.52.

Lib.1.epiſt.8. Epiſt.40.

Hieron.epiſt. ad Euagr.

vbicunq;

vbicunq; fuerit Epiſcopus ſiue Romæ, ſiue Engubij, ſiue Conſtantinopolis, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue Tanis eiuſdem meriti, eiuſdem ſit, & ſacerdotij, inquit, *Hieronymus.* Quare Iulius Romanus Epiſcopus vbi opponunt Ariani *parem eundemq; honorem in omnibus Epiſcopatibus eſſe, neque ex magnitudine ciuitatum honorem eius rei creſcere,* nihil contradicit, non queritur ſibi, vel Petro factam iniuriam, non intonat anathemata, non fulmina iaculatur, dicturus certè aliquid pro ſede ſuâ niſi conſcius ſibi fuiſſet, quàm inter multa falſa hoc ab illis rectiſsimè dictum eſſet. Quare mittat Suarez ſomnium illud ſuum de cathedrâ vnâ, quia non illa propria Romani Pontificis, ſed omnium vbique Epiſcoporum pari atque æquali iure communis eſt. Quod Cyprianus ne ad Romanos quidem ipſos Epiſcopos diſsimulandum cenſuit, cuius ad Cornelium ſententia eſt quàm ante vidimus. *Singulis Paſtoribus portio gregis eſt aſcripta, quam regat vnuſquiſque, & gubernet rationem actus ſui Domino redditurus.* Et ad Stephanum; *Habet in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum vnuſquiſque Præpoſitus rationem actus ſui Domino, Domino,* inquit, non Pontifici Romano redditurus. Et ſi quidem fieri poſsit expreſsius, in initio concilij ſui Carthaginenſis ad Stephanum alludens; *Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum, ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequandi neceſſitatem Collegas ſuos adegit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentiâ libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non poſſit, cum nec poſſit alterum iudicare, ſed expectemus vniuerſi Iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti qui vnus, & ſolus habet poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſia ſuæ gubernatione, & de actu noſtro iudicandi,* Chriſtus vnus, & ſolus, non Stephanus; Non Pontifex Romanus poteſtatem habet, inquit, de actu noſtro iudicandi, quod tum dixit, cùm ei, cum Romano Pontifice de articulo fidei contentio interceſsit, tum inquam palam profitetur non minus ſe quam Romanum Pontificem vnius illius cathedræ conſortem eſſe.

Apud Athanaſ. Apol. 2.

Lib. 1. epiſt. 3. Epiſt. 55.

Lib. 2. ep. 1. ep. 72. & l. 4. epi. 7. epiſt. 76.

III. Sed pergit Suarez, & ex Epiſtolâ ad Cornelium illud affert.

Lib.1.epi. 3. Ep. 55.

affert. *Nec enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſciſmata quàm inde quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur.* Vbi pari fide atque in cæteris agit, & quod de ſingulis Epiſcopis in ſingulis Eccleſijs (vtpote de ſe in Eccleſia Carthaginenſi) dictum eſt, hoc ille ad Epiſcopum Romanum tanquàm vnum vniuerſalem totius orbis Epiſcopum torquet. Apertè hoc Cyprianus ad cauſæ ſuæ defenſionem dixit, qui totâ illâ epiſtolâ ad Cornelium conqueritur, quod à ſeditioſis quibuſdam, & refractarijs hæreticis in Eccleſiâ ſuâ infeſtaretur, qui cum ad Cornelium Romanum Epiſcopum in illâ contra Epiſcopum ſuum rebellione confugerent, *Quaſi paucis deſperatis & perditis,* inquit, *minor videretur eſſe authoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui de illis ante iudicauerant,* exiſtimari non poſſunt hoc in loco de aliquâ in Romanum Epiſcopum contumnaciâ reprehendi. Se, inquam, Cyprianum non Romanum Pontificem læſum denunciat, apud quem, fortaſſe in accipiendis improbis illis haud prorſus à culpâ immunem factam ſibi iniuriam expoſtulat, & Epiſcopatus ſui parem authoritatem ſtrenuè defendit. Cæterùm vt res tota luculentior fiat & apertior, tenendum memoriâ eſt quod Hieronymus animaduertit in illâ quæ initio erat paritate presbyterorum viſum eſſe communiter, & in omni Eccleſiâ, *Vt ad remedium ſciſmatis vnus eligeretur qui cæteris præponeretur, ne vnuſquiſq; ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam, rumperet: nam & Alexandriæ,* inquit, *à Marco Euangeliſta vſque ad Heracleam, & Dionyſium Epiſcopos presbyteri, ſemper vnum ex ſe electum, excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant.* Ita, inquit, inter Apoſtolos factum; *Licet ſuper omnes Apoſtolos fundatur Eccleſia, & cuncti claues regni cælorum accipiunt, & ex æquo ſuper eis Eccleſiæ fortitudo ſolidatur, propterea tamen vnus eligitur vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Iterùm quoque, *oſtendit alibi apud veteres eoſdem fuiſſe presbyteros, quos & Epiſcopos; paulatim verò vt diſſentionum plantaria euellerentur ad vnum omnem ſolicitudinem eſſe delatam.* De hoc ergo vno loquitur aduerſus Luciferianos com-

De vno in Eccleſia catholico Epiſcopo vid. Euſeb. hiſt. l. 6. cap. 42.

Ad Euag.

Quaſi qui κατ' ἐξοχὴν Epiſco. eſt.

Contra Iouin. libro primo.

Ad Tit. c. 1.

communiter de Epiſcopis verba faciens, *Eccleſiæ ſalus à ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors & eminens ab omnibus detur authoritas, tot in Eccleſijs efficiuntur ſchiſmata quot Sacerdotes.* Ac de eodem quidem vno loquitur Cyprianus; non aliunde naſci ſchiſmata quàm dum huic vni non obtemperatur; non hic vnus ad tempus iudex Chriſti vice cogitatur. Atque hac de re Stapletonum ipſum habemus teſtem, cuius ipſa verba ſunt; *In ſingulis per orbem Eccleſijs conſtituti ſunt per Ciuitates Presbyteri, & Epiſcopi, vt vno aliquo ad tempus vice Chriſti conſtituto huic vniuerſa fraternitas obediret. Neque enim aliundè nata ſunt ſchiſmata & ortæ hæreſes,* ait Cyprianus, *quam quod vni Sacerdoti Dei non obtemperatur, & de hoc vno ſummo Sacerdote in ſingulis videlicet paræcijs, ait Hieronymus, niſi exors quædam & eminens tribuatur ei poteſtas, &c.* Ex quo manifeſtum eſt, Stapletono ipſo Iudice, Cypriani verba, adeoque etiam Hieronymi haud magis ad Romanum Epiſcopum quàm ad Eugubienſem vel quemcunque alium cuiuſcunque parœciæ, ſiue Diœceſeos Epiſcopum pertinere. Quanquam alibi Stapletonus quoque ipſe ad eundem lapidem impingit, & verba eadem, quorum hic veram ſententiam animaduertit, ad Pontificis Romani Monarchiam conſtituendam contra conſcientiam ſuam homo peruerſus improbè torquet. Atqui verò ſenſus verborum, ne longiùs eamus, ex ipſâ loci circumſtantiâ ex antecedentibus & conſequentibus abundè manifeſtus eſt, nam ſi præcedentia ſpectemus totus in eo eſt, non vt ſigillatim Romano Pontifici, ſed promiſcuè vt Sacerdotibus, id eſt, Epiſcopis honor debitus attribuatur. *Quomodo*, inquit, *poſſunt cenſuram Dei vltoris euadere, qui talia* (id eſt conuicia) *ingerunt non ſolum fratribus, ſed etiam Sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignitate conceditur, vt quiſquis Sacerdoti eius, & ad tempus hic iudicanti non obtemperaret, ſtatim necaretur.* Eò affert illud Deut. 17. de ſententiâ Sacerdotis & iudicis nullo modo minuendâ, multaque alia cumulat, quibus in contemptu Sacerdotis Deus contemni dicitur, & in quibus Chriſtus, & Paulus honorem Sacerdotibus detuliſſe

Adu. Lucifer.

Lib. 7. con. 3. cap. 1.

liſſe comperiuntur. Concludit, *Cum tanta ac talia exempla præcedant, quibus Sacerdotis authoritas, & poteſtas diuinâ dignatione firmatur: quales putas eſſe eos qui Sacerdotum hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri Iudicij vltione terrentur.* Inde ad argumentum aliud ab incommodo. *Neq; enim aliunde obortæ ſunt hæreſes, aut nata ſunt ſchiſmata, &c.* vt prius. Quod ſi conſequentia ſpectemus, hæc omnia non ad Cornelium, ſed ad ſe accommodat, *Cui*, inquit, nempè vni Sacerdoti, *Si ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt conſenſum coepiſcoporum iudicem ſe non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret*, quod nimirum contra ſe factum à perditis illis intellectum vult, & ex totâ epiſtolæ ſerie manifeſtum eſt, ſed huc affero nonniſi quod paulò poſt ſubiungit: *Dico prouocatus, dico dolens, dico compulſus, quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando populi vniuerſi ſuffragio in pace deligitur, quando Dei auxilio in perſecutione protegitur, collegis omnibus fideliter iunctus, plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio probatus, in quiete ſeruiens diſciplinæ, in tempeſtate proſcriptus applicato, & adiuncto Epiſcopatus ſui nomine, toties ad Leonem petitus, in circo, in amphitheatro Dominicæ dignitatis teſtimonio honoratus, his ipſis etiam diebus quibus has ad te literas feci ob ſacrificia, quæ de edicto propoſito celebrare populus iubebatur clamore popularium ad Leonem denuò poſtulatus in circo, cum talis frater à quibuſdam deſperatis, & perditis, & extra Eccleſiam conſtitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet, &c.* Vbi cùm Epiſcopum nominat *in Epiſcopatu quadriennium probatum* demonſtrat, aliena hæc à Cornelio eſſe omnia, qui in Epiſcopatu ſuo haud amplius vixit quàm biennium, vt omittam *iiſdem ipſis diebus*, quibus iſta ſcripſit *ad leones ſe poſtulatum*, quod non potuit, ille vllo modo de Cornelio Romano Epiſcopo commemorare niſi fortè Cornelium quiſquam Carthagine fuiſſe ſentiat, & cum illo Cyprianum ita loquendo colludere voluiſſe. Longiùs hanc rem ago, vt intelligatis, impoſtores iſti quam ſplendidas fraudes in ſuas controuerſiarum explicationes inferciant,

nulla

nulla vt fides niſi exploratis & inueſtigando compertis habenda ſit. Sed aperta hic res eſt, non de Romano Epiſcopo, Cyprianum, ſed de ſe, & de quolibet Epiſcopo in ſuâ Diœceſi loqui, vt neque hic Suario ſiſtendum, ſed aliud illi pro primatu ſuo perpetuo perfugium quærendum ſit, aut ſi perpetuum primatum demus ex Cypriani mente, non illum in vno vniuerſali, non in Romano Pontifice, ſed in ſingulis ſecundum Eccleſias ſuas Epiſcopis conſtituendum eſſe conſtat.

Cæterùm tamen non repugnamus, quin ſit vnus viſibilis Paſtor, ad ſeruandam vnitatem, eo modo quo Apoſtolico Canone prouiſum eſt. 34. *Cuiusque vt gentis Epiſcopi primum aliquem inter ipſos agnoſcant, eumque pro capite habeant, nihilque quod maioris momenti ſit inconſulto illo agant, ea etiam vnusquiſque Epiſcopus tantummodò agat quæ ad paraciam ipſius ſpectent, & loca eidem ſubdita, neque verò ille quicquam ſibi abſq; omnium conſilio faciendum putet; ita inquiunt, concordia futura eſt, Deusq; per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum glorificabitur.* Hæc vera eſt concordiæ ſeruandæ ratio, vnuſquiſque vt ditione ſuâ contentus ſit. Quæ poſtquam repudiari cœpta eſt, & vnus totius Eccleſiæ contemptis paribus ſuis ſupremam monarchiam arripuit, omnia in tyrannidem conuerſa ſunt, diſtractâ Eccleſiâ, diuulſâ cum pernicie ſuâ Orientali ab Occidentali; & hæc quoque dum vnius improbi hominis furori ſeruire cogitur, in infinitas, non modo corporalium, ſed ſpiritualium quoque calamitatum peſtes præcipitata eſt.

Sed de ſententiâ loci conuenio ipſam Suarij conſcientiam, qui adiungit *ſimilia fere haberi epiſt 69. ad Florentinum*, vbi ne dubitari quidem poteſt quin omnia eo fine atque animo dicta ſint, quo expoſitum hactenus à me eſt. Reſpondet ibi ad Florentij exceptionem, *Sacerdotes humiles eſſe debere: Quis*, inquit, *noſtrum longè eſt ab humilitate? vtrumnè ego qui quotidiè fratribus ſeruio, & venientes ad Eccleſiam ſingulos benignè & cum voto, & gaudio ſuſcipio, an tu qui te Epiſcopum Epiſcopi, & iudicem iudicis ad tempus à Deo dati conſtituis?* Attendite hic Cyprianum ipſum *Lib. 4. ep. 9. epiſt. 69.*

eſſe iudicem illum *ad tempus à Deo datum*, de quo in alterâ ante epiſtolâ dictum eſt. Quare diſtringit in Florentinum ſententiam illam Deut. 17. & reliqua ſubiungit exempla Samuelis, Chriſti, Pauli, quibus honorem Sacerdotibus deferendum oſtendit, & nominatim ſibi, *Niſi ſi*, inquit, *Sacerdos tibi fui ante perſecutionem, quando mecum communicabas, ſed poſt perſecutionem Sacerdos eſſe deſij.* In illâ verò perſecutione publicatum de ſe edictum narrat: *Si quis tenet vel poſſidet de bonis Cæcilij Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum proſcribatur, vt etiam*, inquit, *qui non credebant Deo Epiſcopum conſtituenti, vel Diabolo crederent Epiſcopum proſcribenti. Nec hoc*, inquit, *iacto, ſed dolens profero, cum te iudicem Dei conſtituas, & Chriſti qui dicit ad Apoſtolos & per hoc ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis Vicariâ ordinatione ſuccedunt, Qui audit vos, me audit, & qui me audit, audit eum qui me miſit; & qui reijcit vos, me reijcit, & eum qui miſit me.* Inde addit; *vnde enim ſchiſmata et hæreſes obortæ ſunt et oriuntur, niſi dum Epiſcopus qui vnus eſt et Eccleſiæ præeſt ſuperbâ quorundam præſumptione contemnitur et homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur.* Vbi per omnia videmus, quomodo iiſdem ferè veſtigijs ad eandem ſententiam perueniat, & vnum illum Epiſcopum quod ad præſens negotium ſpectat ſemetipſum interpretetur idem ſignificans de vnoquoque in Eccleſiâ ſuâ Epiſcopo intelligendum eſſe. Atque hunc vnum Epiſcopum meminiſſe debent priore loco dictum, *datum ad tempus Chriſti vice iudicem*, vt nouum figmentum eſſe ſciamus, quo Romanus Epiſcopus peculiari vocabulo *Vicarius Chriſti*, nuncupatus eſt, cum non minus quilibet alius quam Romanus Epiſcopus, *iudex ad tempus Chriſti vice datus ſit.*

Similis locus lib. 3. ep. 9. ep. 65.

IV. Alter adhuc Cypriani locus ad Iubaianum eſt: *Petro primùm Dominus ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vndè vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, vt id ſolueretur in terris quod ille ſoluiſſet.* Huc adiungit illud Auguſtini verba illa expendentis; *Quòd in typo vnitatis Petro Dominus dedit poteſtatem, vt id ſolueretur in terris quod ille ſoluiſſet; manifeſtum eſt quod illa vnitas*

Epiſt. 73.

De bapt. lib. 3. cap. 17.

Digitized by Google

nitas etiam vna columba perfecta ſit dicta. Sed hæc quoque ad perpetuum vnius in Eccleſia primatum quid tandem valent? Quis vnquam teſtes tam elingues in forum, qui ſ milites tam elumbes in aciem dedit? Fecit Chriſtus Petrũ hunc typum vnitatis, typum non Romani Pontificis nemo vnquam hoc dixit, ſed officio quidem typum, in perſonâ omnium credentium ſiue omnium paſtorum totius Eccleſiæ, vt ſibi inter paſtores, ſiue in Eccleſia vnitatem ſemper colendam admoneret, & vnitas quidem in Eccleſiâ ſemper vigere debet, typum vnitatis perpetuum eſſe neceſſe non fuit, fuiſſe aliquando ſatis eſt, vt maneat perpetuò commonefactio illa quæ vnius typi ſymbolo, atque imagine adumbrata eſt. Quare abſurdè Suarez (liceat mihi dicere quod res eſt) concluſionem illam inducit, *Ex ratione ergo inſtitutionis, manifeſtum eſt non fuiſſe ſolum ſpecialem fauorem, vel gratiam perſonæ Petri factam ſed diſpoſitionem regiminis perpetuò in Eccleſia duraturi*, quia nemini alteri facta illa gratia oſtenditur, vt typus vnitatis à Domino conſtitutus ſit, & diſpoſitio illa regiminis non in vno aliquo Petri ſucceſſore, ſed in vnis illis ſingularum Eccleſiarum Epiſcopis vim ſuam, & effectum obtinere debuit, nec vllo alio fine Petro Primatus datus eſt quatenus eſt datus, niſi vt intelligeretur quemadmodum ille fuit in Apoſtolorum choro, ita in ſingulis Collegiis in ſingulis gentibus, & prouincijs ordinis conſeruandi cauſâ vnum aliquem primum eſſe oportere, qui quaſi caput ſit, abſq; quo ſocietas humana, vel Eccleſiaſtica ſtare non poteſt, ad quem omnes in omnibus reſpiciant, quemadmodum antea ex Apoſtolico Canone dictum eſt Canon 34.

Quod autem dico diſpoſitionem illam regiminis non in vno aliquo Petri ſucceſſore, ſed in vnis Eccleſiarum Epiſcopis compleri debuiſſe, manifeſtum eſt, ex ipſiſſimo illo loco quem adducit Suarez, ad moralis ſcilicet argumenti ſui confirmationem.

Videte verò hic fraudem nè vltimo quidem ſupplicio ſatis dignè luendam; habet enim Cyprianus in ipſâ quidem Pamelianâ editione; *Dominus noſter cuius præcepta metuere,* Epiſt. 27.

metuere, & obſeruare debemus Epiſcopi honorem inſtituens, & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Euangelio loquitur, & dicit Petro, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Inde, inquit, *per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit vt Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur.* En vobis apud Cyprianum, non Romani Pontificis, ſed honorem Epiſcopi Chriſti verbis inſtitutum, en Petro typo Epiſcopum [illegible]: en Eccleſiam non ſuper Romanum Pontificem ſed ſuper Epiſcopos conſtitutam, omneſque eius actus per eoſdem præpoſitos gubernandos. Et tamen Suarez; *Vbi non ſolum Pontificatus Romani, ſed etiam omnium aliorum Epiſcoporum ſucceſſionem ab illa primariâ, & quaſi radicali inſtitutione deriuari ſignificat.* Improbum animal; quid enim ibi de Romano Pontificatu: quem Cyprianus ibi nè ſomniat quidem? De quo ne coniectura quidem vlla eſt quicquam illi in mentem veniſſe? Confirmat verò apertiſsimè quod hactenus dictum eſt, Petrũ paſtorum omnium figuram geſtaſſe, & ad Epiſcopos promiſcuè pertinere, tanquam Apoſtolorum ſucceſſores, totum illud quod Petro nomine, & loco omnium Apoſtolorum, Mat. 16. dictum eſt, neque ferè quicquam potuit eum in finem apertiùs, & liquidiùs dici.

V. Quo concidit Suarij argumentum morale quod appellat, ſeu potius fatuum & irrationale delirium, quo vt olim Poeta; *Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet*, ita Eccleſiam pariter Chriſto, & Pontifici dimandat, quaſi vnus Chriſtus regno ſuo caput non ſufficiat. Eccleſiam rectè facit partim triumphantem, partim militantem: Inde verò non rectè ſunt, inquit, *Duæ illæ Eccleſiæ quaſi duo regna partialia vnius integri Regni Chriſti, & ad eum tanquã ad proprium Regem pertinet vtriuſq; regni gubernatio.* Abſurda verò illa dicuntur *duæ Eccleſiæ, duo regna,* quia vnius capitis non niſi vnum corpus, vnius Chriſti nonniſi vna Eccleſia, non niſi vnum regnum dici poteſt. An propter diſtinctas partes duo corpora ſub vno capite eſſe dixerit? ſed quid tum poſt? ſcilicet Chriſtus, *viſibiliter*

præſens

præſens in vtraque huius regni parte eſſe non potuit, neque expediebat vt hic viſibiliter permaneret. Regnum ergo cæleſte immediate per ſe regit, pro reliquâ verò parte debuit modum regiminis hominibus accommodatum inſtituere, quem oporteret vnà cum Eccleſiâ perpetuò durare: fuit autem modus ille regiminis monarchia in Petro inſtituta, quæ prout Eccleſia eſt perpetua, in aliquo Petri ſucceſſore perpetuò durare debeat. Falſum verò hoc totum de Monarchiâ, quia Chriſtus in Petro, teſte Cypriano, communiter Epiſcopi, non vnius Romani Pontificis honorem, & munus inſtituit; quia Petrus ibi non ſuam tantùm, non Romani Pontificis, ſed Paſtorum omnium, & totius Eccleſiæ figuram & perſonam geſtauit, teſte Auguſtino, teſte Gregorio prout antè viſum eſt. Quis autem in fide Chriſtianâ tam eſt infidelis, vt Chriſtum putet militantis Eccleſiæ curam, & regimen deſeruiſſe, aut habere opus vicario, per quem præſtet quod vnus ipſe præſtare debet, cuius ad Apoſtolos vox illa eſt; *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terrâ, & eccè ego vobiſcum ſum vſq; ad finem ſeculi,* Math. 28. quaſi verò illud cæleſte regimen ſic occupatum teneat, vt non vacet militantis Eccleſiæ negotia, & cauſas cogitare: quaſi in cælo exiſtens ſuis in terrâ ſatis conſulere non poſsit, qui datum ſibi profitetur poteſtatem omnium, & in cælo & in terrâ.

At quid tandem impedit quominus Chriſtus in vtraq; regni parte viſibiliter eſſe poſſet, ab ijs qui præterquam quod in cælo eſſe creditur, hic quoque realiter, corporaliter, ſubſtantialiter, carne, animâ, ſanguine, Deitate, humanitate, totus totaliter eſſe dicitur. Aſsiduè Chriſtus eſt ſuper omne altare; aſsiduè Chriſtus in omni pyxide. Qui inuiſibiliter ibi eſt, nec tamen propterea minus in cælo eſt, quid obſtat quominus vtrinque ſe viſibilem exhibere poſsit? *Non expediebat vt hic viſibiliter permaneret.* Ioan. 16. Immò non expediebat vt hic remaneret. *Expedit vobis vt ego abeam; niſi ego abiero, non veniet conſolator ille Spiritus.* Abeundo verò factum eſt ne hic vltra corporaliter permaneret. Qui vero illum non obſtante illo diſceſſu, hic ſimul corporaliter præſentem, & permanentem eſſe contendunt

tendunt, nec præſentia corporali impediri gratiam illam cuius præſtandæ cauſâ expediſſe dixit vt abiret, quia in cælo pariter exiſtens illam nihilominus effectam dat, quid habent cauſæ cur negant expediſſe, vt Chriſtus hic etiam viſibiliter permaneret, vt vtrinque munus perpetui regiminis ipſe obire poſſet ſi viſibilem aliquem vnum gubernatorem eſſe neceſſe ſit. Quod ſi non expedit, vt Chriſtus ipſe hic viſibiliter permaneret, neque certè neceſſe fuit vt vnus hic aliquis Chriſti locum, & munus viſibiliter obiret; quem ſi neget Suarez abſque iſto generali vicario poſſe pro Eccleſiæ ſalute rem ſuam agere quicquid vnquam ex parte ſuâ neceſſe ſit, planè inſanit, & nomine ipſo Chriſtiano prorſus indignus eſt. Quis enim non credit Chriſtum per Epiſcopos, & Paſtores à ſe in eum finem conſtitutos, haud minus, immò infinitè plus quam Papam poſſe; vt pote cuius vbique manus,& oculi, & aures cui conſilia ipſa cordium explorata ſunt, cuius poteſtati ſubſunt omnia, cui ſemper certum eſt pro Eccleſiâ ſuâ quid fieri expediat, & quod expedit facere, qui ſiue armorum, ſiue animorum bella nutu ſuo ſedat; quæ omnia Pontifici negata ſunt, vt ille quidem Chriſti munus explere non poſsit, immò planè deliret qui illũ credat vel eminus è longinquo explere poſſe; deniq; neminem admittimus vnum Chriſti vicariũ qui facultate regiminis, & poteſtate hocidem poſsit quod Chriſtus poteſt, vt faciat pro Chriſto quod facere Chriſtus per ſe debeat.

VI. Sed argumento ſuo minimè confiſus, iterum reuertitur ad teſtimonia, & Leonem, Chryſoſtomum, Auguſtinum, adducit qui Petri perpetuum in Eccleſia primatum aſſerant. Sed aduerſus Leonem exceptio facilis & iuſta eſt, neminem in cauſâ ſuâ teſtem vel iudicem eſſe debere. Fuit autem Leo pro amplificandâ ſedis ſuæ & gloriâ in prædicandâ Petri dignitate vaniſsimus, ita quidem interdum vt parùm ab impietate atque blaſphemiâ abfuiſſe videatur, vix enim à ſcelere defenditur, neque vllâ interpretatione ſatis leniri poteſt, quod ille Petrum ait in *conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum*. Quin & reliqua illa

Epiſt. 87. quibus Petrum ſedi ſuæ quaſi præſentem facit, eiuſque ſibi

ſibi opem & operam adeſſe perſuadet, quid niſi doctiſſimi alioqui hominis tanquam per ſomnum quendam ineptiæ, & luxuriantis atque exundantis ingenij ſarmenta quædam putatitia habenda ſunt. *Nec abeſt vt confido,* inquit, *ab hoc cœtu etiam beatiſſimi Apoſtoli Petri pia dignatio, & fida dilectio, nec veſtram deuotionem ille deſeruit, cuius vos reuerentia congregauit: de veſtro itaq; & ipſe gaudet affectu.* Et rurſum; *Manet,* inquit, *diſpoſitio veritatis & beatus Petrus in acceptâ petræ fortitudine perſeuerans ſuſcepta Eccleſia gubernacula non reliquit, &c. Qui nunc plenius atque potentiùs ea quæ ſibi commiſſa ſunt, peragit & omnes partes officiorum atque curarum in ipſo, & cum ipſo per quem eſt glorificatus, exequitur.* Et iterum; *Tantam potentiam dedit ei Dominus, vt ſi quid etiam noſtris temporibus rectè per nos agitur, rectéque diſponitur; illius operibus, illius ſit gubernaculis deputandum &c.* Et epiſt. 58. *Scripta noſtra authoritate Domini mei beatiſſimi Petri Apoſtoli & merito roborata &c.* Et, *Cui Dominus poſt reſurrectionem ſuam ter dixit; Paſce oues meas, quod nunc quoq; procul dubio facit, & mandatum Domini pius Paſtor exequitur; confirmans nos cohortationibus ſuis* &c. Quæ omnia & multa alia, ſi ad viuum examinentur; dicam quod res eſt, puerili inſtitatione potiùs quàm eruditâ grauitate digna ſunt, & ad Rhetorum luſus, & ludibria, quam ad Theologorum ſenſus, & dogmata propius accedunt. Illud verò animaduerſione dignum eſt, hoc Leonem tribuere Petro, quod Suarez vix attribuit Chriſto; quaſi nimirum Petrus adſit Eccleſiæ & partes ſuas agat Vicarias, Chriſtus verò abſit cœleſti regimine occupatus, & non agat ſuas principales. Quod ſi Chriſtus in Eccleſia quod ſuum eſt in terris faciat, quid opus Petro? ſin pariter Chriſtus & Petrus, quid Romano Pontifice opus eſt? Nos verò in hac cauſâ illud tantum Leonis admittimus, quod cum Auguſtino, cum Cypriano, cum Gregorio reliquiſque Patribus conſentiens dicit, *vni commendatur, quod omnibus intimatur, Petro enim hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur.*

Animaduerſ. 1.

Animaduerſ. 2.

Animaduerſ. 3.

Animaduerſ. 3.

Atque hinc ad illud reſpondemus, quod Suarez affert,

ſicut permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit, Inſtituit enim in Petro Chriſtus quemadmodum hactenùs dictum eſt, & hic Leo confirmat, non vnius principatum, ſed formam omnium, nec aliud vni commendatum eſt, quam quod omnium commune eſſe debuit. Certè in quibus omnium munus delineatum eſt, ea cuiquam vni peculiaria dici non poſſunt: nec omnium forma conuenienter & cum ratione aſſeritur, vbi capitis ratio vni propria eſſe defenditur. Ita verò Leo quod reliqui Patres ſacris literis conſentaneum docent, negare haud auſus eſt, ſed attexendum aliquid putauit quod reliqui non habent, vt prætextu nominis Petri ampliorem ſibi authoritatem plus ſatis ambitioſè arrogaret. Quod autem eodem loco dicit *Apoſtolicæ opis* munimen *ab opere ſuo non vacare* inter nugamenta illa reponimus, quæ iam modo reprehenſa a nobis ſunt, quæ ſtilo potius cenſorio iugulanda, quam in teſtimonij ſuffragium aduocanda ſunt.

VII Sequitur Chryſoſtomus, qui interrogans, *quam ob cauſam Chriſtus ſanguinem ſuum effuderit*, reſpondet, *vt pecudes eas acquireret quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat*. Inde vult Suarez Petri primatum in ſucceſſoribus ſuis perpetuò remanere. At nihil ibi Chryſoſtomus de ſucceſſoribus Petri, quos Suarez vult. Habet enim Chryſoſtomus, καὶ τοῖς μετ' ἐκεῖνον hoc eſt, & illis quoque qui poſt Petrum futuri eſſent, omnes vniuerſim Eccleſiæ Paſtores intelligens: Vult enim Chryſoſtomus Baſilium ad miniſterij Eccleſiaſtici functionem, & munus excitare, eo fine ſignificat huius loci excellentiam, curari quippe hic oues illas quas Chriſtus vt acquireret pretioſum ſanguinem ſuum effundere non abhorruit; hanc enim curam non ſoli Petro commendatam quaſi illo tantum tempore oues paſcendæ eſſent, ſed & ijs quoque incumbere debuiſſe qui poſt Petrum futuri eſſent, & hoc Baſilio ſubeundum officium ſi Sacerdotij functionem admittere vellet, quod proinde intelligi vult non grauatè faciendum.

Lib. 1. de Sacerdot.

Quanquam de ſucceſſorum vocabulo non laboramus, id enim dicimus, prout in Petro inſtitutio fuit Epiſ-

copatus

copatus & figura omnium Epiſcoporum, ita omnes Epiſcopos non minus Petri quam reliquorum Apoſtolorum ſucceſſores eſſe. Atque hoc quidem ab Hieronymo ante audiſtis tam Eugubienſem Epiſcopum, quam Romanum, tam Tanenſem quam Alexandrinum promiſcuè *omnes Apoſtolorum ſucceſſores eſſe.* Id quoque audiſtis à Cypriano *Epiſcopos omnes Apoſtolis Vicariâ ordinatione ſuccedere.* Hoc idem Irenæus; *Ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſijs ſucceſſores eorum &c. quibus ipſas Eccleſias committebant, quos,* inquit, *ſucceſſores relinquebant ſuum ipſorum magiſterij locum tradentes.* Similiter Auguſtinus, *Pro Apoſtolis conſtituti ſunt Epiſcopi.* Reijciamus verò Suarij futilitates quibus arbitrio ſuo ſine teſtimonio, ſine authoritate ſucceſsionem iſtam circumſcribit ſimpliciter accipimus quod à Patribus illis dictum eſt in quantam neceſſe fuit poteſtatem Epiſcopos omnes Apoſtolis, & maxime quidem Petro, qui typus & exemplar omnium fuit pari iure ſucceſsiſſe. Eſto vt ſolus Romanus ſuccedat loco, quanquam ne hoc quidem verum eſt, quia & Antiochenus quoque loco ſuccedit, ſed vt ita eſſe demus, certè tamen maius eſt ſuccedere officio quam loco, id agunt veri Epiſcopi, vt actu & opere Petri, ſiue vt Petro typo & figuræ ſuæ reſpondeant, quando interim Romanus Epiſcopus ſolo loco contêtus, cætera quod attinet ſuccedit Petro non aliter, vt recte Barlaamus Monachus *quam morbus ſanitati, tempeſtas ſerenitati, tenebræ luci, clauſ[que] regni cœlorum gerit, non illas quæ aperiunt, ſed quæ claudunt & neminem eorum qui ipſum ſequuntur introire permittunt.*

Ad Fauſt. Epiſt.69.

Lib.3.cap.3.

In Pſal.44.

Barlaa.de prim. Papæ, cap.13.

Chryſoſtomus verò adiungit, inquit Suarez; *Quiſnam ſeruus fidelis & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam,* quod perinde affert, ac ſi hoc Chryſoſtomus de primatu Petri intelligi voluiſſet; quod tamen ille communiter de Epiſcoporum, & Paſtorum præfecturâ loquitur: *Exprimere* vult inquit, *tum hoc opus quam verum ſit, tum quanta ſit functionis huiuſce amplitudo.* Quare nominatim ad Baſilium verba illa refert, qui queſtus eſt furtum factum, quod ad opus infructuoſum illectus eſſet;

Etiamne, inquit, *nunc nobiſcum contendes ſi audem iſtam tibi non bene ac fideliter ceſſiſſe, qui per eam vniuerſis Dei Optimi Maximi bonis ſis præficiendus.* Baſilius ergo Chryſoſtomo. Non Romanus Pontifex ſeruus ille qui per fidelitatem & prudentiam vniuerſis Domini ſui bonis præficiendus ſit. Quid ergo Suario in mentem venit, qui vim Chryſoſtomi verbis tam apertam facit. Sed videte porro in verbis ſequentibus, quam turpem ille ſibi perfidiæ maculam aſciſcat. Sequitur enim apud Chryſoſtomum continuatâ ad Baſilium oratione; *præſertim cum ea agas quæ cum Petrus ageret, illum Chriſtus authoritate præditum eſſe voluit, ac reliquos item Apoſtolos longè præcellere.* Hic verò Suarez: *Et infra dicit apertè Petri ſucceſſores ea nunc agere quæ cum Petrus ageret illũ Chriſtus autoritate præditũ eſſe voluit, &c.* Quam verò putida hæc impoſtura eſt, ne rabulis quidem & vitilitigatoribus ignoſcenda? Chryſoſtomus Baſilio, *Tu agis quod Petrus egit.* Suarius citat, *Petri ſucceſſores*, hoc eſt Romanos Epiſcopos *agere nunc quod egit Petrus.* Quanquam fortaſſe prophetat vt Caiphas, neſciens quid loquatur, quia Baſilius Epiſcopus Cæſarienſis haud minus reipſa Petri ſucceſſor, quàm coætaneus illi Damaſus Epiſcopus Romanus. Cæterùm vt oſtendat Chryſoſtomus quid illud ſit quod Petrus, & Baſilius communiter agunt, adiungit; *Petro enim ait, amas me pluſquam hi omnes? Paſce oues meas.* Hoc Petri opus, *paſcere oues Chriſti*: hoc idem opus Baſilij; hoc omnium Epiſcoporum, qui idem tenentur facere quod Petrus; quod qui ſtrenuiùs agit & diligentiùs, ille reliquis apud Dominum præfertur, ſiue Romanus ille ſit, ſiue Conſtantinopolitanus, ſiue quicunquè demum alius. Vnde ille mox ad Baſilium *prodeant in medium*, ad hoc ſcilicet opus; *qui longè omnibus præſtant, quique animi virtute tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saul Hebræorum gentem vniuerſam excelluit.* Hinc Chryſoſtomus natam credi vult Petri prærogatiuam, quod Romanenſes non ferunt, ac proinde ad locum hunc in Venetâ editione vocabulum *cautè* adſcripſerunt in margine, vt hic periculum aliquod lector ſubeſſe credat, ac proinde

haud

haud facile admittere debere quod legit. Sed Chryſoſtomi mens aperta eſt, ita quemcunque cum Petro maiorem eſſe apud Chriſtum, quo laborioſius paſcendo oues maiorem teſtatur dilectionem Ieſu Chriſti.

Poſt Chryſoſtomum denuò recurrit Auguſt. cuius tamen non citat verba Suarius, ſed de verbis eius neſcio quid confingit, quod videre ibi præter illum haud quiſquam poteſt. *Similiter*, inquit Auguſtinus De Vtilitate Cred. capite 17. *Per ſucceſſiones Epiſcoporum ab Apoſtolicâ ſede hanc perpetuitatem declaret.* At quàm perpetuitatem illam dicit? Ecquid enim ibi Auguguſtinus, vnius alicuius in certâ aliquâ ſede perpetuum primatum affirmat? Nihil certè minus. *Dubitamus nos eius Eccleſiæ condere gremio*, inquit, *quæ vſq; ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolicâ ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtrà circumlatrantibus hæreticis culmen authoritatis obtinuit?* Vbi animus illi eſt contra priuatas hæreticorum actiones aſſerere authoritatẽ Eccleſiæ Catholicæ, quæ toto orbe terrarum confitente genere humano à tempore quo ſederunt Apoſtoli in Epiſcoporum interruptâ ſucceſsione ſemper illuſtris fuit. De vnius hominis in Eccleſiâ Catholicâ dominatu, vel de Romanę Eccleſiæ ſupereminentiâ nihil ibi eſt, quod vel ſuſpicari quiſquam poſsit. Nam quod Pontificij ſcriptores locum illum propriè ad Eccleſiam Romanam accommodant, nimium perfidè hoc faciunt, & omnino citra mentem Auguſtini, cui de Romanâ Eccleſiâ, vel Romano Pontifice in toto illo libro ne mentio quidem vlla facta eſt. Hoc eſt quod ait multum apud omnes homines ad fidem commendandã, & confirmandam valere oportere, Eccleſiam vnam ab Apoſtolis ipſis toto orbe miraculo, & diuina authoritate fundatam ab illorum temporibus per tot iam ſecula continuâ Epiſcoporum vbique ſucceſsione propagatam, vtvt ab hæreticis impeditam ſubinde atque oppugnatam, in eadem tamen vnitate permanere. Quis enim non ſe credat cum illâ conſociari oportere, quæ tam certam atque impreſſam diuinæ poteſtatis atque operis conſcientiam facit?

VIII.

De vtilit. cred. cap. 17.

De vtilit. Credend. cap. 17.

Illud autem *ab Apoſtolicâ ſede*, nihil ad Romanam Ec-

cleſiam magis quam ad quaſcunque alias Eccleſias pertinere, & tantummodò tempus ſeſsionis Apoſtolorũ deſignare, argumentum eſt locus ille quem adiungit Suarez, *Vides hac in re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat authoritas, quæ ab ipſis fundatiſsimis Apoſtolorum ſedibus vſq. ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum, & tot populorum conſenſione firmatur.* Vbi videmus eâdem formâ loquendi ſedes Apoſtolorum communiter omnes ad eandem cauſam afferri, nec aliam ab illa quam diximus poſſe eſſe ſententiam; *A tempore*, ſcilicet, *quo ſederunt Apoſtoli ad hodiernum vſque diem, à tempore quo ſedes illas occuparunt ad hoc vſque tempus fundatiſsimè permanentes.* Eodem modo loquitur alibi; *Matthæi Euangelium eſſe dicit vniuerſa Eccleſia ab Apoſtolicis ſedibus vſque ad præſentes Epiſcopos certâ ſucceſſione perducta*; & rurſum, *Eam ſequamini authoritatem, quæ ab ipſius præſentiæ Chriſti temporibus per diſpenſationes Apoſtolorum, & certas ab eorum ſedibus ſucceſsiones Epiſcoporum, vſque ad hæc tempora toto orbe terrarum cuſtodita, commendata, clarificata peruenit.* Quod idem alibi dicit; *Manichæos eſſe ridendos vel potius dolendos, qui tam fundatæ authoritati contradicant, quæ à temporibus Apoſtolorum vſq. ad hæc tempora certis ſucceſsionibus cuſtodita atque perducta eſt.* Quod paulò ante dixerat; *authoritati tam fundatæ, tam ſtabilitæ, tantâ gloriâ diffamatæ, atque ab Apoſtolorum temporibus vſque ad hæc noſtra tempora per ſucceſsiones certiſsimas commendatæ, cap.* 19.

Cont. fauſt. lib. 11. cap. 2.

Cont. Fauſtum lib. 28 cap. 2.

Lib. 33. cap. 9.

Lib. 32. cap. 21

Cap. 19.

Denique nihil habet ibi Auguſtinus de Primatu, & proinde ſententiæ illæ prorſus otioſè, & nonniſi ad implendas chartas adductæ ſunt.

Eiuſdem generis illa quoque ſunt; *Ab ipſâ ſede Petri vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum*; & *Numerate ſacerdotes vel ab ipſâ Petri ſede.*

Cont. epiſt. fundamenti, cap. 4. Pſal. cont. par. Donati.

Atque hactenus Suarij teſtimonia expendimus, quibus perpetuum in Eccleſia primatum aſſerere videre vult; quibus tamen omnibus cauſam ſuam nihil iuuat; ſe verò interim hominem vaniſsimum, & mendaciſsimum prodit. Quod ſi nullo argumento conſtare poſsit primatum

Digitized by Google

Petri qualiſcunque ille fuit in Eccleſia, perpetuum eſſe debuiſſe, certè in reliquis inſiſtere haud opus erit, quibus illum in Romanâ Eccleſiâ in Romano Pontifice conſtitutum probare conatur, quia quod non eſt, ne Romæ quidem eſt, nec de Romano Pontifice dici poteſt. Quare ad quartum illud propoſitum noſtrum proximâ lectione veniemus, vt vt locus ille, Mat. 16. ad Romanum Pontificem pertineat, tamen haud tale eſſe quod ibi dicitur vt illum ei in Reges dominatum attribuere cenſere debeat.

Prælectio Decima-Sexta.

I. *Proponitur agendum de ſignificatione, & extenſione poteſtatis clauium.* Paragraph.

II. *Primum Suarij argumentum ex verbis Eſaiæ deductum excutitur.*

III. *Oſtenditur Eliachimum Ezekiæ ſeruum fuiſſe, in Sobnæ locum ſuffectum.*

IIII. *Probatur eundem præpoſitum fuiſſe domus Regiæ non templi.*

V. *Coniectura de tunica, & pallio, ex quibus infert Suarius officium eius ſacrum fuiſſe, non ciuile, Ventilantur.*

VI. *Alius locus pro ſignificatione clauium, ex Apoc. 3. Examinatur.*

VII. *Docetur Chriſtum Petro dediſſe claues regni cælorum, non terrarum.*

PRo explicatione loci, Mat. 16. *Tu es Petrus, &c.* quatuor mihi meminiſtis eſſe propoſita, ex quorum tractatione perluceret nihil ibi contineri, quo ſupremæ quam defendimus Regum poteſtati quicquam derogatum exiſtimandum ſit, primum, ſecundum, & tertium, ex illis quatuor iam expediuimus. In quarto dicendũ eſt, quantumuis illa ſententia vel promiſsio, ad Romanum Pontificem ſpectare credatur; nihil tamen illum iuuare, vt ſe ſtatuat prætextu vllo ſceptra de Regũ manibus I

extor-

extorquere, diademata, & coronas de capitibus deturbare iure poſſe. Hoc vt liquere faciamus, expendendum eſt verba illa, quid ſibi velint quibus controuerſia hæc tota conſiſtit; *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris in terrâ, &c.* Vbi primo conſtat ex omnium Authorum conſenſu, ſi recentiores quoſdam excipias Romanæ Curiæ paraſitos, in poſteriore parte ſententiæ vim prioris expoſitam eſſe, nec aliud clauium vocabulo quam ligandi, & ſoluendi poteſtatem iudicari. Quod ita Chryſoſtomo viſum eſt vt ligando, & ſoluendo finem Clauium, & vſum apertè definiat. *Quid das, quæſo? Claues*, inquit, *regni cælorum, vt quæcunque ligaueris, &c.* Quod ſi clauium vis haud vltra ſe extendat, non erit opus in his morari; ſufficiet tantum exponere ligare illud, & ſoluere qua ratione accipiendum ſit. Atqui verò repugnant aduerſarij, & in clauibus ſingulare aliquid intelligi volunt, quemadmodum partim ante vidimus, poteſtatem ſcilicet vt vſurparet abſolutè ſupremam in omnes & omnia, ſumptâ metaphorâ ab vſu Regum, & victorum, quibus in ſignum dominatus, & imperij claues ciuitatum dari in manus ſolent.

Lombard. d. 18. lib. 4.

Lorich. tit. Claues eccleſiæ.

Aquin ſupplem. q. 17. & 18.

Waldenſis Tomo. 2. cap. 145. 6

II. Eius rei argumentum petunt, ex Eſa. 22. Vbi de Eliakimo dictum eſt; *Clauem domus Dauid ponam ſuper humerum eius, & ipſe aperiet, &c.* & ex *Apoc.* 3. *Hæc dicit qui habet clauem Dauid qui aperit, & nemo claudit, & claudit, & nemo aperit.* Sed hæc omnia expeditum erit nullo negotio difflare, ſi cogitemus conſuetudo illa Regum atque victorum quàm ineptè ad hanc cauſam contorta ſit. Subditi quidem tradendo Regi claues recognoſcunt imperium, at Rex tradendo claues tantummodo imponit officium; ianitorem facit non Dominum, nec imperium ei, ſed miniſterium defert, quod non arbitrio, non placito ſuo, ſed lege, ac certo iuſſu, ac mandato præſtare debeat. An aliqua ianitoris Dominij poteſtas in ciues eſt? Immò poteſtatem Rex deponit apud Magiſtratum vicarium ſuum, qui etſi claues ipſe non tractet, tamen officij ſui eſſe cenſeat, curare vt rectè ianitor officium ſuum faciat. Habet ergo ille claues, ſed vt intromittat quos Dominus

vult intromittendos; vt excludat quos vult Dominus excludendos. Poteſt ille interim per iniuriam, & malitiã excludere ciues, intromittere alienos; poteſt contra fidem & ius vexare bonos, fauere malis, ſed ita vt reddendam ſibi intelligat officij rationem, quod non poteſtate, ſed fide obeundum ſit. Hæc clauium noſtratum conditio eſt, quas non Eccleſia tradidit Petro tanquam Domino, ſed Chriſtus Petro, tanquàm ſeruo, vt hic imperium ſomniare parum ab inſaniâ diſtare videatur. Poteſtas quidem hîc eſt, ſed qualis ſeruorum, qualis mandatariorum in negotijs eſſe ſolet, poteſtas ſeruiens, non imperialis, poteſtas limitati iuris, non propriæ voluntatis: Aperit ille, & claudit, ſed ita vt ianitorem decet, qui Dominium in ciues non habet (*non enim dominamur fidei veſtræ*, inquit) ſiue quos intromittendo recipit, vel quos arcet claudendo. Quare extra oleas comparatio iſta tradendarum à ſubditis clauium, & omninò præter cauſam eſt, quia non hic, inquam, ſubditus Regi ad profitendũ obſequiũ, ſed Rex ipſe ſeruo fidem & diligentiam requirenti claues dat.

Greg. ep lib. 2. epi. 61. ſacerdotes meos manui tuæ commiſi. hoc eſt ianitores meos.

III. Simili ratione fit impoſtura lectori in loco Eſaiæ, vbi Deus Eliachimo ſe daturum promittit *Clauem domus David*, hoc eſt, facturus vt Ezechias ei det, *vt aperiat & nemo claudat, &c.* Vbi vt propoſitum ſuum Bellarminus efficiat, fingit Sobnam fuiſſe Sacerdotẽ ſummũ, hoc verò officio exutũ eſſe, & inde ſupremã poteſtatem Eccleſiaſticæ adminiſtrationis Eliachimo commiſſam eſſe, *Apertè*, inquit, *per claues non remiſſio peccatorum intelligitur, nec miniſterium verbi, ſed principatus Eccleſiaſticus*; vt eo ſcilicet confirmet *clauium nomine datam Petro ſummam poteſtatem in omnem Eccleſiam*. Atqui verò manifeſtum eſt ibi clauium vocabulo, neque ſummam poteſtatem deſignari, neque illam quæ eſt, Sacerdotalem fuiſſe, ſed ciuilem. Summa enim poteſtas non eſt, quæ habet ſuperiorem, habuit autem poteſtas illa ſuperiorem. Nam qui abdicat dignitate, & loco maior eſt, eo qui abdicatur. Sobnæ vero poteſtas illa & dignitas abrogata eſt; habuit ergo Regem (neque enim alium ſuperiorem) cuius authoritate abrogata eſt. Non aliam verò poteſtatem habuit

De Rom. Pont. l. 1. cap. 13.

Talem principatum, vt eius titulo ac iure Pontificem Romanum Regibus & Monarchis ſuperiorem faciat.

buit Eliacim, quàm quæ ante fuerat Sobnæ. Eliacim ergo non obſtante illâ claue Regi ſubiectus fuit, qui porrò à Rege in locum Sobnæ ſubſtitutus, eo ipſo Rege minor fuiſſe conuincitur, quod & extra controuerſiam eſt ſeruum Domino minorem, Dominum ſeruo ſuperiorem eſſe. Fuit autem Eliacim in Sobnæ locum ſubſtitutus. Seruus Regis Ezechiæ, ſic enim legimus, *Regem miſiſſe Eliacim præpoſitum domus, & Sobnam ſcribam, & ſenes de Sacerdotibus ad Eſaiam Prophetam.* Et paulò poſt; *Venerunt ergo ſerui Regis Ezechiæ ad Eſaiam; dixitque eis Eſaias; hæc dicite Domino veſtro*, Ezechias Dominus, illi verò omnes ſerui dicuntur. Inde Cyrillus; *Quia ſemper fortiſſimus legationis munere fungitur, exiuerunt ad eum electi & præſtantes miniſtri Regis.* Attendite factum ibi opus legationis, & miniſterij quod certè à ſuperioribus præſtari non ſolet. Immò etiam Hieronymus etſi Eliacim ibi ſummum Sacerdotem interpretatur, ſeruitutem tamen hanc non negat ex altera parte, ex altera dominium agnoſcit *Cum veniſſent ſerui Regis Ezechiæ ad Eſaiam, &c. dicit quid reſpondere debeant Domino ſuo, &c. Dicite*, inquit, *Domino veſtro qui veſter eſt Dominus; meus enim hæc dicit Dominus.* Videte ergo iam clauis illa quid valeat, vt tamen Eliacim Ezechiæ ſeruus Ezechias Eliachimi Dominus ſit.

Sobna ô ignominia domus Domini tui. Sobna primum &c. Vide ibi Oſorium.
2. Reg. 19. 2. Eſa. 37. 2. Ver. 5.
In Eſai. c. 36. tom. 4.
In Eſai. cap. 37. l. v. 11.

IV. Sed multum improbanda ibi Hieronymi hallucinatio eſt, qui eo loco præpoſitum domus abſque vllo vſquam exemplo, immo contra clariſſimam ipſius loci euidentiam præpoſitum templi, & ſummum Sacerdotem interpretatur. Quanquam enim Azariah *dux ſiue præfectus domus Dei* dicatur, qui Pontifex fuit, tamen abſolutè *præfectus ſiue præpoſitus domus*, nuſquam ſummus Pontifex dictus eſt. Contextus verò ipſius clariſſima lux eſt, cuius enim domus clauem habuit, eiuſdem domus præpoſitus fuit: Habuit autem clauem *domus Dauid*, non domus Domini. Appellatio namque domus Dauid de Templo, de domo Domini, nunquam audita eſt. Nota eſt enim phraſis illa domus Dauid, de poſteris Dauid & regiâ familiâ regni ſucceſſoribus vſitata. 1. Reg. 12. 20. *Nemo ſecutus eſt*

1. Chron. 31. 13.

eſt domum Dauid, præter vnam tribum Iudæ; 1. *Reg*. 14. 8. *ſcidi regnum domus Dauid*. 2. *Reg*. 17. 21. *ſciſſus eſt Iſrael à domo Dauid*. 2. *Chron*. 10. 19. *Iſrael rebellauit contra domum Dauid*. 2. *Chron*. 21. 7. *noluit Dominus diſperdere domum Dauid*. *Eſa*. 7. 2. 13. *Nuntiatum eſt domui Dauidis, & audite iam domus Dauidis*. *Iere*. 21. 11. 12. *Dicito domui regis Iudæ; audite verbum Domini ô domus Dauid*. Domus ergo Regis Iudæ illa eſt domus Dauid & Eliachim qui claues habuit domus Dauid præpoſitus intelligendus eſt domus Regiæ, non templi Dei. Quod verò Sobnam primo poſt illum Eliacim Pontificem fuiſſe narrat, manifeſtè falſum eſt, quia quo tempore edita ab Eſaia prophetia illa eſt, poſt Vriam qui fuit tempore Ahazi Regis ſucceſſit Azarias Pontifex ſummus, vt 2. *Chron*. 31. videre eſt Azarias ille, quem modo diximus *præfectum domus Dei* nuncupatum. Quo eodem tempore Eliacim ille quem dicimus *præfectus Domus* appellatus eſt: vt ſciamus illum ſummum Sacerdotem nullo modo eſſe potuiſſe. Atqui vt ſeriem Pontificum Iudæorum perluſtremus, ſiue illam quæ habetur, 1. *Chron*. 6. 4. ſiue illam *Ezræ* 7. ſiue illam apud Ioſephum nullum ibi nomen Sobnæ, nullum Eliachimi inuentum eſt, neque vſquam, Hilkias ille inter Sacerdotes reperitur, quo Eliacim oriundus eſſet, primuſque eius nominis fuit Hilkias, ille qui anno Ioſiæ decimo octauo nominatur 74. annis poſt mortem Ezechiæ. Neq; verò mouemur authoritate Nicephori Conſtantinopolitani, qui inter Vriam tem pore Ahaz & Hilkiam, qui fuit tempore Ioſiæ Sobnam, & Eliachimum interponit, quia nullâ fretus authoritate ſuâ tantum coniecturâ confiſus nimium temerè hoc facit. Adeoque etiam adductis iam teſtimonijs omnino reijcitur; vt ne illud omittam, Eliacim dici ab illo filium Sellum, quem Helciæ filium fuiſſe Scriptura ſacra tam expreſſè confirmat. Addo etiam Sellum ab illo in Pontificibus non numerari qui tamen à Ioſepho teſte certiori nomine Salomi numeratur, & eundem Sellum fieri ab illo patrem Eliacim, quem Scriptura tanto poſt Helciæ patrem fuiſſe teſtatur. Poſtremo loco animaduertenda Eſaiæ verba ſunt, quibus illum videtur

Ibidem.

Antiq. Iudaic. lib. 10. cap. 11.

Chronolog. ter. part. cap. 15.

A Baruch Propheta Salomi cap. 1.

detur tanquam alienigenam affari; *Quid tibi hic? & quis tibi hic, &c.* quaſi ius ibi nullum, nullum ſanguinis nomen, nullam agnationem habeat, vt videatur quidem cum homo eſſet peregrinus ambitione & malis artibus ſe in præfecturam illam quæcunque fuit, quæ proinde tamen Sacerdotalis eſſe non potuit, Achaze regnante, inſinuaſſe, qua iam Ezechia Rege gradatim quidem, Scriba primò factus, deturbandus eſſet.

Cæterùm officium illud Shebnæ ciuile fuiſſe conſtans Scripturarum vſus oſtendit, quæ illo loquendi modo *qui eſt ſuper domum*, ſemper illum deſignat quem dicere Latini ſolent, *præfectum Prætorij, vel magiſtrum palatij, vel Maiorem domus*, quem penes ſub Principe rerum omnium in domo diſponendarum pro ſummâ ei fide habitâ poteſtas eſt, cum multis in locis Septuaginta, & ſecundum illos Ioſephus οἰκονόμον dicunt, hoc eſt, domeſticarum rerum diſpenſatorem, & adminiſtratorem, hoc vero loco ταμίας, hoc eſt, quæſtorem ærarium, quaſi qui theſauris diſpenſandis inſtitutus ſit. Quanquam probanda magis latior ſignificatio, quæ cum deſcriptione officij Eliachimo conferendi conſentit magis, quæ eum generaliter procuratorem omnium, & gubernatorem facit. Talis Abrahæ ſeruus ille de quo legimus; *Dixit Abraham ad ſeruum ſuum, ſeniorem domus ſuæ qui dominabatur in omnibus quæ erant ei*, qui fuit, opinor, Eliezer ille Damaſcenus; quem ante dixerat filium quaſi ſcilicet aſcitum & adoptatum, *procuratorem ſeu diſpenſatorem domus ſuæ.* Talis Ioſeph in domo Potiphar. *Inuenit*, inquit, *gratiam in oculis eius, & præpoſuit eum ſuper domum ſuam, & omnia quæ erant ei dedit in manu eius.* Et fuit quoque in domo Ioſeph quidam, qui dicitur *fuiſſe ſuper domum eius.* Eâdem formâ loquendi quâ de Sobna & Eliacim ſcriptum eſt, quem vulgatus interpres, *diſpenſatorem domus* vocat. Sed maximè conſpicua in ipſo Ioſeph in domo Pharaonis præpoſitura iſta eſt, de quo legimus *Pſ.* 105. *poſuit eum dominum domus ſuæ, et dominatorẽ in omni poſſeſſione ſuâ*, nẽpe nõ priuatim modò in domo, ſed publicè in vniuerſo regno, vt vtrobique idẽ poſſet. Quod quale eſſet & quantũ poſſet apparet ex deputatione

Gen. 24. 2.
Cap. 15. 2.
Gen. 39. 4.
Pſal. 105. 20.

Digitized by Google

deputatione ipſa qua Ioſeph in poteſtatem illam prouectus eſt. *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediat,* ſiue vt alij vertunt, *armabitur vno tantum regni ſolio te præcedam; abſq; tuo imperio non mouebit quiſquam manum aut pedem in tota terrâ Ægypti.* Hæc illa diſpenſatoris poteſtas eſt, ſiue Vicarij Regis in regno, ſiue eius qui *ſuper domum eſſe dicitur*, vt ad eius nutum ſint omnes & omnia, ipſe interim Regi ſiue Domino ſubiectus ſit. Atque huiuſmodi ſemper eſt aliquis in miniſtris, & officiarijs Regũ: Solomoni Principi fuit *Achiſhar ſuper domum*, & Ahabo *Obadiah ſuper domum*, & *Anazo Azrikam dux domus*, quem interpres Ioſephi præfectum prætorianorum vertit, in cuius occiſi locum ſuccesſit, vt videtur, Sobna, qui ab Ezechiâ, Ahazi filio, de præfecturâ illâ ſubſtituto in eius vicem Eliacimo, deiectus eſt. Iam qui ex locis illis omnibus rem expenderit, planè ſentiet appellatione illâ *præpoſiti domus* ſeculare tantum, & ciuile munus, & officium deſignari, & domus regiæ præfecturam, cuius qui ex dictis attenderit quanta poteſtas fuerit, non mirabitur verba illa; *Dabo clauem domus Dauid, ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudet, & claudet, &c.* Hoc eſt ſummâ ſecundum me erit poteſtate in domo Regis pro officio ſibi commiſſo adminiſtrabit omnia. Nec aliam ibi domum confirmant verba illa; ô *ignominia domus Domini tui*; nec enim dixiſſet tui Domini ſi de templo domo Dei locutus eſſet.

Gen. 41. 40.

1. Reg. 4. 6. c. 18. 3.
2 Chron 28. 7.
Neged Habaith.
Lib. 9. c. 12.

Oſorius.

Nec aliud fuiſſe officium hic intelligendum præter euidentiam ſcripturarum teſtes nobis locupletiſsimi non deſunt. Abulenſis res vltro citroque actâ decernit, *Quia non vocatur Eliacim ſummus ſacerdos, vel præpoſitus domus Domini, ſed tantum præpoſitus domus: Et Eſa. 36. dicitur fuiſſe ſuper domum, & tamen, 2. Reg. 18. dicitur fuiſſe de miniſtris Regis ideò intelligendum eſſe quod fuit præpoſitus domus Regis, & non ſummus ſacerdos.* Ergo mox *tenendum,* ait, quod *iſte Eliacim non fuerit ſacerdos, ſed laicus officialis regis maior in domo ſua.* Ac Torniellus quidem in ſacris annalibus agnoſcit Eliachimum, qui 2. Reg. 18. & 19. memoratur fuiſſe non ſummum ſacerdotem, ſed præpoſi-

In 2. Reg. 18. q. 33.

Aetat. 5. anno 300. ab orbe condit. 3322. numero. 5.

tum ſiue procuratorem domus Regiæ, ſed Sobnam & Eliachimum, Eſa. 22. alios fuiſſe ab ijs qui in Regum Hiſtoriâ memorantur. Qua verò ratione? Nimirum quia inquit, *Sobna & Eliachim, de quibus loquitur Eſaias erant ambo ſacerdotes, ij vero qui locis Reg. allegatis memorantur erant laici, & miniſtri Regij. Sobna enim, vt ibi dicitur, erat ſcriba Regis, & Eliachim dicitur fuiſſe præpoſitus domus, nimirum Regiæ.* Sed quàm hæc craſſa principij petitio eſt? Quid eſt enim argumenti, quo conſtet Sobnā & Eliacim apud Eſaiam fuiſſe ſacerdotes. Quin attendite, quæſo, Regum hiſtoriam rem totam referre ad libros Chronicorum Regum Iudæ, quorum nonniſi breuiculi ſunt, qui iam in ſacrâ Hiſtoriâ canonici habentur. Libri verò noſtri chronicorum iterùm referunt ad viſionem Eſaiæ filij Amos. Apud Eſaiam habetur prophetia, cap. 22. Denuncians Sobnam de loco ſuo deijciendum, & in eundem ſubrogandum Eliachimum. Ille verò locus qui fuit? Certè idem qui 2. Reg. 18. Eliachimi eſſe dicitur. *Vade ad Sobnam qui eſt ſuper domum.* Capite vero 36. *Eliachimum nominat ſuper domum. Sobnam verò iam minori loco Scribam.* Quis hic lucem porrò deſideret, vt nō protinus agnoſcat completam eâ re prophetiam, & factum iam cap. 36. quod futurum prædicitur capite 22. Quod ad reliquum verò prophetiæ effectum attinet, traditionem Iudæorum haud prorſus repudiandam puto. Quanquam enim verum non eſt quod aiunt Sobnam ciuitatem Aſſyrijs prodidiſſe; exceptâque arce Sion, & templo nihil remanſiſſe quod non tenuerit Aſſyrius, nam expreſſa eſt in contrariam partem ſcripturæ veritas. *Eſa. 37. Hæc dicit Dominus de Rege Aſſyriorum, non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem,* tamen eſt vnde ſuſpicemur tale aliquid tentatum eſſe; Sobnam verò ægrè ferentem & indignantem: quod de loco deiectus eſſet, & de præpoſito domus ſcriba factus conſilia proditionis cum hoſtibus agitaſſe, & ſibi de Aſſyrio multa ſpondentem, clam de tradendâ ciuitate tractaſſe, eâque re poſtea compertâ in exitium ab Ezechia actum eſſe, ſecundum verba

Eſa. 37. 33.

illa

illa Prophetiæ *Dominus aſportari te faciet, &c. quaſi pilam mittet te in terram latam, & ſpacioſam, ibi morieris*, quod in ſummũ ſacerdotẽ vnquam ſtatutũ credi certè non poteſt. *Eſa. 22. 17. 18.*

Ac noſtrates quidem illi ſiue Anglo-Rhemenſes, ſiue Duacenſes Theologi in illâ quam nuper ediderunt Bibliorum interpretatione, etſi vulgatam ſuam ſequuntur, & *præpoſitum templi* nominant, ſummum tamen ſacerdotem non intelligunt: quippè qui ad marginem adſcribunt: *Habuit Sobna iſte officium aliquod circa templum, ſed per aſtutam intruſionem, & iniuſtam vſurpationem potius quam per legitimam inductionem; fuit auarus admodum, & ambitioſus, atq; ita Dei iudicio in miſeriam incidit.* Habuit aliquod officium, inquiunt, ſacerdotem verò dicere hand auſi ſunt, ſummum ſacerdotem multo minus. Illud verò officium quodnam fuerit. Forerius nobis author ſit; *Habebat iſte curam Templi vt prouideret quid facto opus eſſet, ad reparationem.* Poſteà verò *neſcio*, inquit, *an fuerit ſacerdos, quamuis mihi fuerit probabile, quod qui curam templi haberet, ſacerdos eſſet.* Ita ſacerdotem eſſe potuiſſe ſignificat; ſummum ſacerdotem fuiſſe ne ſuſpicatur quidem. Quanquam addit quod res eſt; *Niſi dicas quod curam Domus regiæ haberet, non templi.* Pro cuius rei confirmatione ponit id quod opinor extra controuerſiam rem facit; nam quod dicitur, *Ver. 18. O ignominia domus Domini tui*, ſiue vt legit ille *heri tui*, plane oſtendit præpoſituram eius non in domo ſiue templo Dei, ſed in domo Regis intelligendam eſſe. Neque verò dixiſſet *Domini tui*, ſi verba illa ad Dominum omnium referenda ſtatuiſſet Sed in quo hæret circa Sobnam, in eo diſertus eſt circa Eliachimum, qui in Sobnæ officium ſubrogandus fuiſſe dicitur. *Eliachim*, inquit, *in regiâ domo Ezechiæ plenam habuit poſt Regem poteſtatem, & hunc cum venerunt Chaldæi, vocat ſcriptura præfectum domus, ſiue qui erat ſuper domum.* Eundem ergo Eliachimum hîc exponit, & poſt cap. 36. vbi dicitur, *fuiſſe ſuper domum*; id eſt, inquit ille, *Præfectus Domus Regiæ quem nos maiorem domus vocamus.* Qua in re Oſorius quoque in paraphraſi ſua planè noſter eſt, fuiſſe Sobnam præpoſitum domus Regiæ, Eliachimum verò in eandem

Annot. ad Eſa. 22. 15.

Qui tamen in eo Cyrillum vt opinor ſecutus eſt; nam eandem habet Cyrillus. In Eſa. 22. 15.

ver. 21.

Ver. 22.

præ-

præfecturam ſuccedere debuiſſe. *Vade ad Sobnam ærario præfectum, penes quem modò poteſtas eſt regiæ moderandæ Adſciſcam ſeruum meum Eliacim, tradam illi ſummam in Dauidis domo, & familiâ poteſtatem; Regia omnis illius humeris fulta ſuſtinebitur.* Ita quoque Arias Montanus corrigit verſionem latinam. & *præpoſitum domus* exponit, hoc eſt, *Præfectum*, inquit, *regiæ domus & familiæ*. Cuius ſententiam confirmat Chaldæus Paraphraſtes qui locis illis omnibus, & hoc nominatim Eſaiæ 22. *Præfectum domus*, ſemper, præfectum templi nuſquàm dicit. Quare Bellarmini ratio iſta vel manifeſtè falſa eſt, aut certè quia dubia; eo ipſo fidei dogma firmare non poteſt.

a Eſa. 22.

2. Reg. 18. 18. 2. Chron. Eſa. 22. & 36.

V Quod verò *Tunicam & Baltheum*, tanquam ornamenta propria ſacerdotum obijciunt, coniectura tantum agunt non certâ ratione. Ac de tunicâ quidem coniectura falſa eſt. Nam vocabulum hebraicum *Cuthoneth*, manifeſtum eſt communiter tunicam, & pallium, veſtem nimirum extimam, & ſupremam denotare, quæ quidem ſacerdotibus certâ formâ præſcripta eſt, nunquam verò illo tanquam proprio vocabulo deſignata. Nam & Adam atque *Euæ tunicæ pellicea, Gen. 3.* & Ioſephi *veſtis polymita Gen. 37.* & eadem Thamaræ, 2. *Sam.* 13. & paſſim alia veſtimenta eodem vocabulo nuncupata ſunt. Similiter de altero vocabulo ſtatuendum eſt. *Abenet*, quod balthеum ſiue cingulum interpretantur. Non habetur quidem vocabulum illud extra libros Exodi & Leuitici, præterquam hoc vno loco, & ibidem cingulo tantùm ſacerdotali deſcribendo octies vſurpatur, vbi interpretes *Græci 70.* illi conſtanter ζώνην vertunt, qui hic (vt aliud intellectum ſignificent) στέφανον exponunt hoc eſt coronam *Cingulum autem militare* eo vocabulo deſignari, non ſolum Mercerus noſter, ſed & Forerius Dominicanus obſeruat, & vſum eius notat; *Cingebantur ne veſtes diffluerent, & vt redderentur* ſtrictim contentis veſtibus, *ad opera conficienda expeditiores, ac firmiores, conſtantioreſq;*: quo alluſum quoque eſt opinor hoc loco, vbi dicitur; *Balteo tuo confortabo*, ſiue *confirmabo eum*. De eodem verò Forerius addit; *Non exiſtimo ſacerdotes tantum balteo vſos fuiſſe.* Videtur autem

De Cingulo. Baſil. Aſcati. c. 23. Vnde illud. Eph. 5. ſtate circumcincti lumbis veritate.

Sobna

Sobna iſte, vt erat ambitioſus, & ſuperbus ornatu, & ſplendore aliquo veſtium ſe oſtentaſſe, cuius fortaſſe ea in re vanitatem propheta reprehendit. Quanquam ab aulis principum alienum non eſt, vt Officiarij eorum peculiari aliquo habitu, & ſelectis quibuſdam honorum inſignibus vtantur, quale imprimis *balteus eſſe ſolet*, quem notat Abulenſis, *ad honorem & militarem dignitatem oſtendendam* pertinere, quibus tamen ornamentis videtur ille ſe nimium arroganter, & ſuperciliosè venditaſſe. Sacerdotem illum non fuiſſe ſuperiora argumenta conficiunt ſatis; proinde tunicam hanc & balteum, non ſacrorum, ſed ciuilis tantum officij indumenta fuiſſe neceſſe eſt.

Similes & ſingulo ſpoliabitur edict. Martiani in concil. Chalced. act. 3. in fine

In Exod. 28. q. 6
In 1. Reg. 18. q. 11.

Alter locus quem adducit pro ſignificatione clauis, eſt ex Apoc. 3. *Hæc dicit qui habet clauem Dauid qui aperit, &c.* vbi non negamus *Clauem* quidem ſignificare poteſtatem abſolutè ſummam, ſed eo ipſo illam quæ Pontifici Romano, vel cuiquam mortali communicari non poteſt. Eſt autem alluſio ad morem hominum, vbi Dominus ianitori vel diſpenſatori claues committit, ſed tamen ipſe ſibi adhibendam arbitrio ſuo clauem ſeruat, vult reliquis præpoſiti voluntate ac iudicio ſecundum leges ſuas clauſa eſſe, vel aperta omnia; ſibi nihil clauſum, nihil non apertum, & peruium, non ad placitum & nutum eſſe vult, vt fortaſſe claudat vbi ſeruus aperit, vel aperiat vbi ſeruus claudit, miniſterium ſeruo permittens, dominium ſibi ſemper integrum relinquens. Miniſtri clauis nonnunquam errat qui ordinem rerum vel cæcitate, vel malitia peruertit; clauis illa Dauid, Chriſti clauis nunquam errat, neque vnquam vel admittit excludendum, vel excludit admittendum. Diſtinguuntur verò inter ſe *clauis Dauid, & clauis domus Dauid*, *clauis Dauid* proprietatem & ius notat, deſignando cuius, & quem penes clauis illa ſit. *Clauis vero domus Dauid* tantummodò vſum deſignat circa domum Dauid; interim relinquitur intelligendum clauem proprietate eius eſſe cuius eſt domus. Itaque *habere clauem Dauid*; eſt clauis Dominum eſſe quæ fuit clauis Dauid, id eſt, ſuccedere in regnum illud quod fuit Dauidis vel quod Dauidi promiſſum ſignificatur, ſed po- VI.

ſitam eſſe ſuper humerum alicuius clauem domus Dauid (vbi eſt qui ponit, & is in quem ponitur) tantummodò refertur ad miniſterium circa eandem domũ, vbi non agit is, ſuper cuius humerum ponitur, tanquam Dominus in ſeruos, ſed tanquam ſeruus, Domini ſui præſcripto, in conſeruos. Clauem priori ſenſu ſi Pontifex Romanus ſibi rapiat; certè hoc ipſo Antichriſtus eſt, & quidem verè Antichriſtus eſt, quia clauem hanc ſibi rapit Chriſto Ieſu peculiarem, quia ſuperbè rem agit, quaſi ſpes cœli nulla illis eſſe poſsit, qui per proprias eius claues introitum non habent.

VII. *Dialog. inter Cler. & milit.* Portò præteriri non debet, quod Guilielmus noſter Ockamus animaduertit, quod tamen cuiuis obuium eſt. *Chriſtum in commiſsione Petro factâ, non claues regni terrarum, ſed claues regni cælorum tradidiſſe*; *Tibi dabo*, inquit, *claues regni cælorum*. Quod ſi non alias Petrus accepit quam regni cœlorum, certe non habet vnde claudat vel aperiat in regno terrarũ. *Regnũ meũ*, inquit, *non eſt de hoc mundo*; id eſt, clauis mea non eſt de hoc mundo, poteſtas mea non eſt de hoc mundo, immò ita longè abeſt, vt poteſtatem regni terrarum ſibi vindicet, vt in hoc mundo, *Pilato datam in ſe cælitus poteſtatem* apertè agnoſcat. Non aliam verò clauem dedit Chriſtus, quam ipſe habuit. Non dedit ergo clauem regni terrarum, quia illam ipſe non exercuit, non habuit; diſpenſatione ſcilicet, non habuit, iure, ac hæreditate, habuiſſe dubitari non poteſt; per diſpenſationem vero illam, quam ex voluntate patris obire atque implere debuit, claues regni terrarum dare non potuit. Nec iuuat ludibrium illud diſtinctionis, non dediſſe illas ſimpliciter & immediatè, ſed ſecundum quid, & ex cauſa; quia nec ad illum ſecundum illud quid, non ſecundum cauſam illam pertinuit claues adminiſtrare regni temporalis, nec directè, nec indirectè vel exclusit ille quenquam à regno, vel in regnum admiſit. Quanquam quid intereſt modò habeat claues regni terreni, habeatne directè vel indirectè, proximè an mediatè, quando
Num. 18. tam facilè atque in promptu eſt indirectè cauſas fingere, quibus directè Reges de thronis ſuis & dignitate deturbet.

bet. Quin & quamdiu in lite res eſt, directè ne poteſtas iſta Pontifici an indirectè conueniat, quidni pro re natâ libitu ſuo ſibi ſumat directè in Reges animaduertere poſſe & imperia Principum mero ſtomacho citra vllas ambages abrogare? Verum, vt dicam verbo, claues regni cœlorum ſunt tantummodò ſpirituales; claues autem, opinor, ſpirituales cum gladijs materialibus conciliari non poſſunt.

Iam ſi regnum cœlorum eo modo interpretetur, quo ſæpe in Euangelio ſumitur pro Eccleſia ſcilicet viſibili atque militanti, eòdem res redit datam eſſe poteſtatem circa Eccleſiam, non circa rempublicam: arcere poſſe ab Eccleſiæ liminibus, vel intromittere; cum ſceptris & diadematis, cum ædibus ſiue Principum, ſiue priuatorum negotij nihil eſſe debere. Eccleſia domus Dei eſt, quæ non milites & ſatellites, non graſſatores & latrones, ſed adoratores & auditores, Euangeliſtas & præcones, ſupplices, inermes, linguâ tantum & fide pollentes inuitare, atque alere conſueta eſt. Talis Ambroſius, cuius illa vox eſt contra Auxentium; *Etiam coactus repugnare non vi: dolere potero, potero flere, potero gemere, aduerſus arma, milites, Gothos, quoque lachrymæ meæ arma ſunt; talia enim munimenta ſunt Sacerdotis; aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.* Non talis Iulius ſecundus, qui profecturus in bellum contra Gallos, pontem tranſiens claues papales proiecit in Tyberim, & denunciat, *quod Petri claues non valerent, gladio Pauli vtendum eſſe.* Quantum verò mutata iam res, vt claues imperent enſibus; & qui nonniſi Eccleſiæ claiculari & ianitores ſunt, armis & gladio materiali rem agendam putent, qui tam expreſſè Petro interdictus eſt; *Recondé gladium in vaginam, nam omnis qui gladium capit, gladio peribit,* nec verò vnquam Petrus telis armatorum promouere conatus eſt: regnum cœlorum: quod proindè qui facit; qui ad acies & prælia conclamat, non ille Petri, ſed Herodis & Pilati ſucceſſor habendus eſt! Sed de clauibus ſatis: de actu clauium deinceps dicendum eſt.

Epiſt. 32.

Matth. 26.

Prælectio Decima Septima.

Paragraph. I. *Sententia Pontificiorum de poteſtate ligandi, & ſoluendi impia, & blaſphema proponitur.*

II. *Prædicta ſententia ex Concilijs & patribus impugnatur.*

III. *Eadem varijs argumentis à ratione ductis confoditur.*

IV. *Docetur poteſtatem ligandi, & ſoluendi omnibus Apoſtolis fuiſſe communem.*

V. *Proprium obiectum poteſtatis ligandi, & ſoluendi eſſe peccata ex vnanimi conſenſu omnium temporum luculenter demonſtratur.*

I In clauium Petro datarum interpretatione Pontificij ſcriptores quàm ſponte cæcutiant, & Christi Domini verba ad iniuriam poteſtatum ſupereminentium malitiosè detorqueant, ſuperiore diſputatione demonſtratum à nobis eſt. Supereſt iam docendum *ligandi & ſoluendi poteſtate*, nihil contineri quod cum Regum contumeliâ, & inſana illa Pontificis in Principes vſurpatione coniunctum ſit. Certè illam Romanenſes tanquam Harpyiæ, quarum habitu & contactu contaminata ſunt omnia quæ incurrunt, ſacrilego commentario quaſi lue quadam inficiunt, & quam Chriſtus tantum in foro pœnitentiæ locum habere deſtinauit, eam illi ad politicas rationes conuerſam ita tractant exponendo, vt per eam ſe homines credant, iubente vel ſuffragante Pontifice Romano ſecurè & ſanctè perfidos, periuros, proditores, ſeditioſos, ſicarios hæreticos eſſe poſſe. Caietanus Cardi-
In Matth. 16. nalis *ſoluere*, inquit, *eſt à vinculis peccatorum, pœnarum, præceptorum, iuramentorum, votorumque liberare.* Neque hoc ſolum, ſed *etiam à nodis emergentium difficultatum circa ea quæ fidei ſunt declarando abſoluere. Ligare verò*, inquit, *eſt præceptis aſtringere ad ea quæ ſunt regni cælorum, & definiendo errores & hæreſes arcere.* Suarez verò ſic, *Poteſtas*
Lib. 3. c. 10. §. 15. *ligandi & ſoluendi non eſt alia niſi poteſtas leges ferendi, quæ homines ligent ſeu obligent, vel etiam puniendi & cenſuras ferendi*

ferendi, aut ſimilia onera imponendi vel auferendi. Paulò moderatiùs hîc quam Caietanus. At Bellarminus huius perfidiæ Archimiſtâ, attritâ iam fronte pariter & conſcientiâ totum myſterium iniquitatis luculenter expreſsit, affirmans *ad Pontificis authoritatem pertinere non ſolum potestatem abſoluendi à peccatis, ſed etiam à pœnis, cenſuris, legibus atque iuramentis.* (Math. Tort. pag. 11.) Ita contra Barclaium: *Per ſpiritualem poteſtatem poteſt ſummus Pontifex ligare principes ſeculares vinculo excommunicationis; poteſt per eandem ſoluere populos à iuramento fidelitatis, & obedientiæ; poteſt obligare eoſdem populos ſub excommunicationis pœnâ, vt Regi excommunicato non pareant; atque vt alium ſibi eligant Regem.* (Cap. 3 pag. 46.) Ita iam penes Pontificem eſſe defenditur ſuſque deque vertere orbem terrarum, vt per illum in ancipiti ſuſpenſa ſint omnia, nulla vt legum vis, votorum conſcientia nulla, nulla iuramentorum conſtantia, & firmitas niſi illo arbitrante eſſe debeat; Reges niſi annuente illo vt non ſint Reges; ſubditi vt illo iubente perduelles licitè fiant, vt citra illum nulla religio, nulla pietas, fides nulla cenſeatur, vt verum in illo ſit quod de Antichriſto dixit Hieronymus; *Cunctam religionem ſuæ ſubyciet poteſtati.* (In Dan. 7.) Quin & dignam Antichriſto ipſo vocem audite, *Diſpenſat Pontifex in votis, & iuramentis quæ Deus ipſe iuſſit reddi, & quorum ſolutio de iure diuino eſt.* (Cont. Barcl cap. 21. pag. 204.) Itanè vero? *Quæ Deus ipſe iuſſit reddi, & quorum perſolutio de iure diuino eſt?* Ergóne maior Deo Pontifex vt ſcita Dei numine ſuo conuellat, iuſſa iniuſſa eſſe faciat? *Minimè*, inquit, *non quod ſit ipſe ſuper ius diuinum, ſed quia interpretatur Deo placere, vt in tali, vel tali caſu iuramentum aut votum relaxetur.* (Ibidem.) *Ita in bono ſenſu*, inquit, *dedit Chriſtus Petro poteſtatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum.* (Cap. 31 p. 253.)

Sed de interpretatione illâ quî tandem conſtare poterit? II
Nunquid enim habet, vt olim Numa Ægeriam aliquam Nympham, cum quâ conſilia communicet quæ illum citra verbum Dei, de Dei contra verbum Dei voluntate alterâ certiorem faciat? Ecquid eſt quo fidem præſtare poterit placere Deo ſententiam ſuam: Nolle De-

um in tali, vel tali caſu quod ipſe ſcripto verbo vniuerſim ſe velle teſtatur? Nolle præcepto ſuo alicubi, & aliquando obediri, qui ne vnum quidem apicem, vel iota legis ſuæ non ſeuerißimè requirit? non eſſe peccatum per Enthuſiaſmum Pontificis, vbi tamen violatio eſt ſcriptæ legis Dei? vel eſſe peccatum, vbi palam Deus pronunciat non eſſe peccatum; verum id porrò quæro, fuitne ab orbe condito caſus aliquis in veteri, in nouo teſtamento, ſub lege naturæ, ſub lege iuſtitiæ, ſub lege gratiæ, quo diſpenſatum eſt in votis, in iuramentis quæ Deus ipſe iuſsit reddi, & quorum ſolutio de iure diuino eſt? Fuitnè temporibus illis moderator aliquis, & interpres caſuum cuius authoritate creditum eſt relaxari vincula, quibus homines Deo, vel ſecundum Deum hominibus obligati ſunt. Si fuit, cur illum Ioſuah non conſuluit, vt ſe immunem faceret temerè, & inſcienter, dolo quoque eorum interpoſito, cum Gibeonitis paciſcentem, cur illum Iehoiachim Rex Iudæ non adijt, vt periurij maculam, quam illi Propheta inurit, Ezech. 17 per diſpenſationem elueret? Quod ſi non fuit, quomodò neceſſarius nobis, qui illis non fuit, & vndè ille tandem aut quo inferno oriundus venit, qui poſt tam multa ſecula propè iam in fine ſeculorum nouum ſe nobis offert diuinæ voluntatis interpretem, qui exſufflare voces diuinas, & gratias iſtas inauditas indulgere promittat. Quin verò Hieronymus; *Dominus narrabit in ſcriptura populorũ, & Principum qui fuerunt in ea. Non verbo*, inquit, *ſed Scripturâ*; *& Scriptura Principum* (quos Prophetas, & Apoſtolos interpretatur) *qui fuerunt in eâ*; *qui fuerunt*, inquit, *non qui ſunt*, *vt exceptis Apoſtolis, quodcunq; aliud poſtea dicetur, abſcindatur, non habeat poſteà authoritatem*; *quamuis ergo ſanctus ſit aliquis poſt Apoſtolos, &c.* Quid ergo iſta nobis Pontifex dicit, quæ à Prophetis, & Apoſtolis authoritatem ſiue præcepti, ſiue exempli non habent? Accommodatè quoque ad hanc rem Gregorius; *Per Scripturam Deus loquitur omne quod vult.* Quare *ſancti viri*, inquit, *ſe Scripturæ conſilijs ex toto addicunt, videlicet vt nihil agant niſi quod ex reſponſo Scripturarum audiunt, quæ fluenta pleniſſima dicuntur, quia* de

In Pſal. 86.

Moral. l. 16. cap. 16.

In Cant. c. 5.

de quibuſcunque ſcrupulis in ſcripturis conſilium quæritur, ſine minoratione de omnibus ad plenum inuenitur. Quis ergo ille qui aliam nobis narrat voluntatem Dei extra, & contra Scripturas, qui ex neſcio quo furoris afflatu leges quibus Deus in Scripturis parere præcepit exauthoratas eſſe iubet & irritas, qui pro imperio nulla eſſe decernit vota, & iuramenta, quibus ſanctè ſeruandis diuino iure obligati ſumus. Eſt quidem vbi leges, vbi vota, vbi iuramenta cadunt ſuper indebitam materiam, vt parere legibus humanis repugnare Deo ſit, vt vota reddere, iuramenta, quibus ipſis actu ſuo illicita nimirum vouendo, & iurando peccatur, nonniſi cumulare peccata ſit. Iacent hic leges, & ipſæ ſe ſoluunt: vota, iuramenta ipſa per ſe irrita ſunt, nec egent Pontifice diuinæ voluntatis interprete, quia in caſibus iſtis ſatis liquet quod à Deo ipſo pronunciatum eſt. At hic Bellarmino ipſo authore alia res agitur, vbi parere legibus per ſe iuſtum & pium eſt, vbi religio iubet perſoluere vota, iuramenta ſanctè ſeruare, quæ tamen diſſoluit Pontifex, & nullum eſſe iubet vniculum quo tenemur, immò teneri nos ait, nè faciamus ad quod tenemur. Eſtne verò vt credamus effrænem hanc, & rebus humanis perturbandis natam licentiam ligandi, & ſoluendi poteſtate contineri? At vnde hoc conſtare poterit? Mitto Scripturas quærere: quis hoc veterum ſenſit? Qui Patres, quæ concilia, quæ Hiſtoriarum monumenta de hac expoſitione verbo vel facto meminerunt? Quod ſi per aduerſarios tantum ſententia iſta ſtat, quid habent quo magis hic fidem ſibi habendam perſuadeant, quàm ſi eodem prætextu penes Pontificem eſſe dixerint, diſſoluere matrimonia, fœdera, carceres, debita, cōtractus quidem, & Sacramenta ipſa, & Euangelia; quidni Apoſtolorum ſcripta, quæ diſertè Bellarminus à iure diuino diſtinguit? quidni vt Chriſtum ipſum expungere? quidni Deum quoque ſoluere ne amplius trinus, & vnus ſit? *De Cler. l. 1. cap. 18.* At Bellarmino quidem nihil refert nunquam hoc factum, nunquàm dictum, nunquàm auditum eſſe, Quippè *non rectè*, inquit, *de Eccleſia Dei ſentit, qui nihil admittit niſi quod expreſſè in veteri Eccleſiâ ſcriptum aut factum* *Cont. Barcl. cap. 3. pag. 59.*

eſſe legit, quaſi Eccleſia temporis poſterioris aut deſierit eſſe Eccleſia, aut facultatem non habeat explicandi, & declarandi, conſtituendi etiam, & iubendi quæ ad fidem, & mores Chriſtianos pertinent. Ita planè agnoſcit carere iſta veteris Eccleſiæ teſtimonio, ſibi interim ſuiſque liberum facit ſub Eccleſiæ nomine noua dogmata procudere, & in fide ac moribus arbitrio ſuo conſtituere, quæ in rem ſuam ſint, etiam quæ nunquam hactenus in Eccleſia recepta ſunt, quo nihil in religionem contumelioſius dici potuit, quæ hoc pacto tota ſuperborum hominum libidini ac placito ſubiecta ſit. Stat verò nobis Tertulliani ſententia illa;

e Præſcript. *Nobis ex arbitrio noſtro indulgere nihil, ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio quod inducerent, elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignauerunt.*

III. *De pœnitent. lib. 1. cap. 2.* Cæterùm vt preſsius rem agamus, ſumendum eſt primò quod habet Ambroſius; *Dominus par ius & ſoluendi eſſe voluit & ligandi, qui vtrunque pari conditione permiſit; ergo,* inquit, *qui ſoluendi ius non habet, nec ligandi habet.* Nobis è conuerſo dicendum; Qui ligandi ius non habet, nec habet ſoluendi. Pontifex ergo Romanus vbi ligare non poteſt, nec certe poteſt ſoluere. Atqui verò non poteſt Pontifex ligare legibus Politicis, non conſtringere iuramentis, non vota imperare. Ergo nec ſoluere poſſe credendus eſt. Det ille leges Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, præſcribat iuramenta populis, quid ab illis aliud reportaturus eſt quàm riſum, & cachinnos, quaſi qui non temerè modò, ſed ſtultè falcem mittat in ſegetem non ſuam. Quin potius oſtendat ſe primò ſolutum legibus, niſi forte quomodo latrones ſunt, qui perfractis violenter legum repagulis, ſpolio & prædaturâ immunitatem ſibi vindicant. Enim verò qui legibus ipſe ligatus eſt vim & ius legum abrogare non poteſt: qui obedientiæ vinculo ipſe tenetur, vinculum hoc alijs relaxare non poteſt. At-

Epiſt. 76. Lib. 2. ep. 61. Synod 6. Conſtant. act. 4. qui verò Leo Romanus Epiſcopus, *imperiali præceptioni adnititur obedire. Gregorius ſe Imperiali Iuſſioni ſubiectum* profitetur, Agatho *quod iuſſum ab illo eſt obſequenter*

ter implere promittit, vterque Gregorius pariter & Agatho ſe agnoſcunt, *Imperatori obedientiam debere*. Pelagius ſecundus, *Regibus*, inquit, *nos etiam ſubditos eſſe ſanctæ Scripturæ præcipiunt*. Hæc cum ſit Epiſcoporum Romanorum aperta profeſsio quod ipſi Regibus ſubiecti ſint, quis tam inſanit, vt credat Romanos Epiſcopos poſſe à legum vinculis, & obedientiæ debito diſpenſandi poteſtate aliquâ liberare. Qui verò debet fidelitatem, debet ille quoque, vbi opus eſt iurare fidelitatem, qui verò tenetur ad iurandam fidelitatem, iuramentum fidelitatis in alijs imminuere non poteſt. Denique non poteſt Pontifex imponere neceſsitatem vouendi, quia votum hoc ipſo quod votum eſt debet eſſe ſpontaneum, ſi obligationem voti non poteſt imponere; non poteſt tollere obligationem & neceſsitatem præſtandi, *quia par*, inquit, *ius eſt ligandi & ſoluendi*. *Epiſtola ad Childebertum.*

Porrò illud quoque animaduertendum eſt ligandi & ſoluendi poteſtatem omnibus Apoſtolis fuiſſe communem. Quod enim Petro dictum eſt, Mat. 16. *Quodcunque ligaueris in terra, &c.* Hoc idem omnibus dictum eſt, Matt. 18. *Quodcunque ligaueritis in terrâ ligatum erit, &c.* per quos tranſmiſſa ad ſucceſſores poteſtas vniuerſali Eccleſiæ communis eſt. Nam quod excipiunt in eo quod ſeorſim Petro dictum eſt, peculiare aliquid, & Petro proprium contineri: contra fidem vniuerſalis Eccleſiæ dictum eſt. Ingenuè Maldonatus, *Video omnes authores*, inquit, *præter Originem in eâ fuiſſe ſententiâ eodem ſenſu Petro atque alijs Apoſtolis dictum, quodcunque ligaueris in terra &c.* Et Origenes quidem alicubi non aliud ſenſit inquiens, quæ velut ad Petrum dicta ſunt, *Tibi dabo*, Et, *quæcunque ligaueris*, fuiſſe omnium communia. Quâ de re Baſilius: *Omnes*, inquit, *Paſtores & Doctores ex æquo ligant & abſoluunt quemadmodum & Petrus*. Et Leo, *Tranſiuit in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio commeauit.* Etiam Hieronymus prout illum citat gloſſa ordinaria, & Lumbardus, *Habent eandem iudiciariam poteſtatem alij Apoſtoli, quibus poſt reſur-* IV. *In Mat. 16.* *In Mat. tract. 1.* *De vita ſolit. cap. 23.* *Anniverſ. 3.* *In Matt. 16.*

rectionem ait: Quorum remiſeritis peccata, &c. habet etiam omnis Eccleſia in Epiſcopis & Presbyteris. Huc apponere liceret *Auguſt. in Ioan. tract.* 50. *Gregor. in* 1. *Regum l.*6. *Bedam. poſter. hom. de Euangel. Quem me dicunt, &c. Mag. Sententiarum l.*4.*d.* 19.*c. Toſtat. Mat.* 18. *q.* 115. Quo illud quoque pertinet Lorichij qui claues Eccleſiaſticas exponens, *poteſtatem eſſe ligandi & ſoluendi, hanc nihil aliud eſſe affirmat, niſi characterem Sacerdotalem qui datur in Sacramento ordinis*, ita vt vbi eſt Sacramentum, vt ille appellat ordinis, ibi quoque neceſſariò poteſtas ſit ligandi & ſoluendi. Quod ſi poteſtas ſoluendi ſit, poteſtas ſoluendi à legibus à votis, à Sacramentis, certè quia poteſtas ſoluendi omnium Sacerdotum ex ipſo charactere Sacerdotali communis eſt: neceſſariò ſequitur Sacerdotes omnes ſoluere poſſe à legibus, à votis, à iuramentis. At nō poſſunt omnes ſoluere à legibus, à votis, à iuramētis: Petrus ergo hoc non poteſt, quia hoc nō poteſt, qui eſt æqualis Petro. Peſsimâ ergo fide Bellarminus contra fidem Eccleſiæ contra conſcientiam ſuam ligandi, & ſoluendi poteſtatem interpretatus eſt.

Theſauro tit. claues Eccleſia.

V. Quod vt apertius fiat, inquirenda nobis Eccleſiæ ſententia eſt de poteſtatis huius vero & proprio obiecto, quod non aliud eſſe quam peccata vnanimis ferè omnium temporum conſenſus docet. Sumamus verò ad hanc cauſam quod ante animaduerſum eſt, nihil hîc Petro datum in præſenti, ſed tantummodo promiſſum in futuro. Videndum ergo vbi actum intelligi debeat quod hîc tantummodò promiſſum eſt. Id autem videmus ex Theophylacto, *Quamuis ſoli Petro dictum ſit, Tibi dabo, omnibus tamen Apoſtolis claues conceſſa ſunt. Quando cum dixit, Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur. Etenim cum dixit Dabo, futurum tempus ſignat, hoc eſt poſt reſurrectionem.* Ex quorum locorum collatione manifeſtum eſt, nihil aliud eſſe ligare & ſoluere, niſi retinere peccata, & remittere: *Ligare non aliud eſſe niſi peccatorum nodis innexos relinquere; ſoluere idem eſſe quod confeſsione veniæ recipere in ſalutem*, vt Hilarius exponit. Quo illud pertinet Hieronymi, *funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur quos funes*

In Matt. 16.

In Mat. 18.

*In Eſai. l.*6. *c.*14

funes, & quæ vincula ſoluere poſſunt Apoſtoli imitantes magiſtrum ſuum qui eis dixerat; Quæcunque ligaueritis in terra &c. Quod expreſsiùs confirmat locus alter, quem modò citauimus; vbi reliquos Apoſtolos eandem quæ hic Petro datur iudiciariam poteſtatem habuiſſe probat, quia omnibus dictum eſt, *Quorum peccata remiſeritis, &c.* Quod argumentum omnino nihil valeret, ſi aliud ſit ſoluere & ligare, quam peccata retinere & remittere. Quin & Thomas Waldenſis vbi apud Ambroſium ligare illud & ſoluere tantum circa peccata commemoratur, *quidditatem* tamen ait, *clauium Eccleſiæ ab illo exponi*, quomodò & Auguſtinus claues exponit, vbi ait, *Eccleſia claues Regni cælorum accepit in Petro, id eſt, poteſtatem ligandi ſoluendique peccata.* Proinde Abulenſis inquirens, *quid illud ſit in quo ſoluitur quis, & ligatur per claues*, decernit *claues ſuper peccatum habere vſum ſuum ſoluendo, & ligando.* Certè poteſtas ligandi, & ſoluendi non egreditur extra claues. Clauium vſus non vltra peccata ſe extendit. Poteſtas ergo ligandi, & ſoluendi tantummodo peccatis contenta eſt. Cuius rei argumento quoque eſt quod Breuiarium Romanum, ſaltem antiquum illud poteſtatem ligandi, & ſoluendi ita circũſcribit, vt tantùm animas concernat; *Deus qui Beato Petro Apoſtolo tuo collatis clauibus Regni cæleſtis animas ligandi atque ſoluendi Poteſtatem tradidiſti, concede quæſumus, &c.* Quo loco vſus eſt anonymus ille Author propoſitionum in cauſâ venetorum, vt oſtenderet poteſtatem ligandi, & ſoluendi tantummodò eſſe ſpiritualem, & in ſpiritualibus tantùm circa animam occupari; non in temporalibus; non in iis quæ ad corpus reſque externas pertinent, cui rei ſignificandæ formula illa fuiſſe videtur accommodata. Hoc verò cum rei Romanæ non conuenire animaduerterent. Breuiarij Reformatores, vocem *animas* tanquam noxiam expunxerunt, quod illis *diuinâ prouidentiâ inſpiratum* interpretatur, & vult intelligi Bellarminus fraudum omnium, & impoſturarum patronus, & magiſter, cui tam expeditum

Wald. tom. 2. cap. 145.

Amb. de pænit. l. 1. c. 2. 6. 7.

In Ioan. tr. 124

Mat. 16 q. 76.

In commemorat. Sancti Pauli.

peditum eſt prætextu diuinæ inſpirationis conſilia popularium ſuorum, & ſua tegere: vt quemadmodum olim Donatiſtæ teſte Auguſtino in conſilio ſuo audaciſsimè,& impudentiſsimè; *Placuit*, inquiunt, *nobis & ſpiritui ſancto*, ita dicere non veretur in conciliabulis ſuis Antichriſtianis idem ipſum Apoſtolorum more, iure, ac merito vſurpari potuiſſe, *viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis*. Sed mentitur hic iniquitas ſibi, nec ignorare poteſt Bellarminus cõiurationes illas ſeditioſas, & factioſas abſque ſacrilegâ audaciâ cum Apoſtolorum concilio comparari non poſſe. Ita verò agunt interpolando, ſubornando, immutando, addendo, detrahendo, ne quid libri antiquum ſonent; *Notum eſt*, inquit, Iohannes Marſilius in defenſione Authoris quem diximus, *notum eſt*, inquit, *omnibus à Conciliorum, Canonum aliorumq́. Doctorum libris, ex ipſis etiam Breuiarijs, & Miſſalibus ablata, & adhuc auferri ea quæ Principibus laicis fauent, vt periculum fiat num ſenſim, & progreſſu temporis ſtabiliri poſſit opinio de illimitatâ poteſtate Pontificis in temporalibus, adeò vt qui libros anno 1530. vel 1550. editos cum hodiernis confert, ſiue concilia, ſiue alia deſcribant vindemiam manifeſtè deprehendat*. Nimirum per fraudes iſtas ſe ſciunt hactenus profeciſſe, & regnum Antichriſti haud parùm promouiſſe, vt nihil deinceps miremur, hoc ab illis diligenter agi, vt primis poſtrema reſpondeant: vt quibus artibus arcem ſuam Babylonicam ædificarunt, iiſdem curent illam muniendam, & conſeruandam.

In Pſal. 36.

Cont. Barcl. pag. 176.

Defenſ. Ioan. Marſil. cap. 6. in fine.

Atque hactenus Hildebrandinæ epiſtolæ ad Metenſem Epiſcopum qua poteſtas illa Pontificum in Reges primò omnium aſſerta eſt, prima à nobis & præcipua fundamenta couulſa ſunt, in quibus eruendis videri fortè poſſumus nimium laboris, atque operæ poſuiſſe quod ſat eſſet apud cordatos, & prudentes arrogantiam illam ante inauditam ipſâ nouitate falſitatem prodidiſſe, nec eſſe iam in Scripturis incipere potuiſſe, quæ nunquàm ante intellecta ſunt: ſed aduerſum ferreas frontes duritie opus eſt crebriſque ac repetitis ictibus tentandum eſt.

quod

quod nuda & mera veritas obtinere non poteſt. Bellarminus, ſi illo tempore cum Barclaio controuerſiam illam habuiſſet, quàm nudus, quàm inermis in aciem prodijſſet, quam deſtitutus teſtibus, & authoribus qui iam in veſtibulo libri de Antichriſti ſcholâ, & progenie grandem exercitum, tanquam Gorgoneum caput ad terrorem opponit, & homo vaniſsimus numero ſuo, ne digno quidem, qui numeretur tanquàm victoriam adeptus ſuperbè gloriatur. Enimverò poſtquam Pontifex Romanus ſceleratum illud facinus in Imperatorem Dominum ſuum auſus fuerat, neque ſucceſſu incœptum execrabile careret, non defuerunt qui patellæ venenatæ pararent operculum, & excogitandis rationibus pingendiſque ac fingendis coloribus darent operam quibus turpiſsimo ſceleri ſpeciem honeſtatis atque iuſtitiæ inducere crederentur.

Laus Deo.

LONDINI,
Ex Officina NORTONIANA,
Apud IOANNEM BILLIVM.
M. DC. XIX.

I : 10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XVII
D 18

Google